NO 11 use this cover
Index back

# PERIODICA

## DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XXXIV / FASC. I-II
15 Maii / 1945

34
1945

Only 2 issues

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
PDRM
Alma, California

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1945

23703

# FASCICULI INDEX ANALYTICUS

## I - Dissertationes et quaesita varia


pag.

*« Probabile » in Codice i. c.*, D. G. Oesterle, O. S. B.. . . 5

*De facultate audiendi confessiones in itinere aëreo*, W. Bertrams, S. I. . . . . 32

*De Missae celebratione in itinere maritimo*, U. Lopez, S. I. 42

*Novum form. lit. pro f. SS. Cordis Iesu in id. slavico*, I. M. Schweigl . . . . . 45


## II - Monumenta


**SS. D. N. Pius Pp. XII**

1 - Litterae encyclicae « Orientalis Ecclesiae decus ». 48
*Annotationes*, I. O. de Urbina, S. I. . . .

2 - Nuntius radiophonicus d. 1 sept. 1944 . . .
*Annotationes*, G. Gundlach, S. I. . . . . 63

3 - Allocutio ad S. R. Rotam. . . . . .
*Summarium-Annotationes*, Ph. Aguirre, S. I. 101

4 - Nuntius radiophonicus natalitius . . . . . 124
*Annotationes*, G. Gundlach - Ph. Aguirre S. I.

5 - Motu proprio « In cotidianis precibus » . . . . 137
*Annotationes*, F. Ogara, S. I. . . . . .

6 - Acta summatim relata . . . . . 151

*Provisiones ecclesiarum - Necrologium - Notae bibliographicae.* . . . . . 152



**INSCRIPTIONES:**

D. G. Oesterle, O. S. B.: Collegio di Sant'Anselmo - Roma. — I. M. Schweigl, S. I.: Via Carlo Cattaneo, 2 - Roma. — Pro ceteris: P. U. Gregoriana.

Approbantibus Superioribus Ecclesiasticis

P. Vincenzo Monachino - Univ. Gregor., Roma - Responsabile

Typis Pontificiae Universitatis Gregorianae, 1945

# PERIODICA

## DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XXXIV / FASC. I-II
15 Maii / 1945

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1945

V. 34
1945

IMPRIMI POTEST

Romae, die 25 maii 1945

P. EMMANUEL PORTA
*Praep. Prov. Romanae S. I.*

IMPRIMATUR

Romae, die 29 maii 1945

† A. TRAGLIA
*Archiep. Caesarien., Vic. Ger.*

Typis Pontificiae Universitatis Gregorianae - Romae

# DISSERTATIONES
## ET QUAESITA VARIA

### "PROBABILE„ IN CODICE IURIS CANONICI

I. Introductio.

Neminem latet terminologiam in C. I. C. haud paucas, haud leves creasse et adhuc in dies creare difficultates [1]. Quam difficultatem primus, ni fallor, ventilavit Udalricus Stutz, professor Berolinensis. Eodem enim die, quo Codex vigere coepit i. e. die 19. maii 1918, manu sua signavit Praefationem in opus suum: Der Geist des Codex iuris canonici [2]. Cel. auctor p. 198 ss. disserit de personis mora-

---

[1] Unum solum exemplum: verba can. 2225; « si vero poena latae vel ferendae sententiae *inflicta sit* ad modum praecepti particularis » sat diversam receperunt interpretationem; cf. ex. g. F. Cappello S. J., de censuris ed. 2. n. 14. 3° et n. 76. Vermeersch-Creusen S. J., Epitome ed. 4. vol. III. n. 415, J. Noval O. P.: de ratione corrigendi et puniendi sive in iudicio sive extra iure Codicis i.c. in « Ius Pontificium » vol. II. (1922) p. 147-156 vol. III. (1933) p. 36-40; p. 204-210. Fr. Roberti: quaenam poenae applicari possint per modum praecepti in « Apollinaris », vol. IV. (1931) p. 294-300; Beste, Introductio in Codicem p. 893 ad C. 2225; Moersdorf, die Rechtssprache des Codex Iuris Canonici p. 386 sq. aliosque interpretes can. 2225. Exempla per numerum sat spectabilem augeri poterunt.

[2] Falco, Introduzione allo studio del « Codex Iuris Canonici », Torino 1925 scribit de hoc opere: « Nella letteratura, ormai abbondante, sul Codex iuris canonici non si conta che una sola ampia introduzione allo studio di esso, quella magistrale dello Stutz, uscita con sorprendente rapidità nel 1918 »,

libus et iuridicis in Ecclesia catholica ponitque quaestionem, utrum uterque terminus eadem in Codice gaudet significatione respondetque agi in casu solummodo de mutatione materiali terminorum, prout in eodem Codice terminus: « Sedes apostolica » et « sancta Sedes » promiscue usurpatur. Diversitas terminorum derivat ex diversis Codicis redactoribus et ex eorundem praedilectione pro uno vel altero vocabulo. Codici qua tali èiusdemque interpretationi huiusmodi variatio non est proficua; in opere legislativo in oppositione ad opera mere litteraria desiderari non variationem linguae, sed rigidam formam et ferream consequentiam, ad quam tamen Codex non potuerit ascendere [3]. Tandem Stutz p. 221. una cum notis 1-4 citat alios terminos a Codice usurpatos, quibus deest illa ferrea consequentia [4]. E. Eichmann, recensendo librum citatum notat in « Deutsche Literaturzeitung » 1919, p. 843 adhuc plures et maiores difficultates ex terminologia Codicis habentes originem sumendas esse [5]; deinde Eichmann alios adhuc defectus nodosque indicat. Idem Eichmann primus et, in quantum scio, hucusque unicus, recepit iam in editione prima sui operis: Lehrbuch des Kirchenrechts, a. 1926,

---

[3] Stutz, l. c. p. 198 sq. asserit: scientiam iuris Italicam et Germanicam praeferre terminum « persona iuridica »; in Gallia vero, ubi Gasparri per multos annos fuit professor i. c., in usu potius esse vocem: « persona moralis ».

[4] Praeter alia exempla commemorat etiam illud « matrimonium legitimum », quod in can. 1015 § 3. hanc legalem definitionem recepit: « Matrimonium inter non baptizatos valide celebratum ». In sensu definitionis legalis matrimonium legitimum una sola vice usurpatur, sc. in can. 1120, ubi est sermo de privilegio Paulino. Si Cardinales esse nequeunt, qui prolem etiam ex matrimonio legitimo susceptam habent (can. 232 § 2. n. 2;) si ille solus est episcopus idoneus aut Praelatus vel Abbas Nullius, qui est natus ex legitimo matrimonio (can. 332 § 1. n. 1. 320 § 2.) si est in-habilis ad officium Superioris maioris, nisi sit natus ex legitimo matrimonio (can. 504), legitimum usurpatur in alio sensu ac in definitione legali; cf. can. 1075, n. 1.

[5] Cf. lex propria pro Codificatione de 11. apr. 1904 n. III.: « ut in canonibus redigendis Consultor aliusve operis ordinator, e documentis excerpta verba, quantum possit, fideliter referret ». (Praefatio in Codicem).

necnon in sequentibus editionibus propriam paragraphum, sc. 9 de terminologia Codicis. Eichmann defectum uniformitatis terminologiae in C. I. C. explicat ad partem ex triplici ratione: certi termini iuxta connexum sermonis, ubi eorum fit usus, iam diversum sensum habent; alii termini, qui iam ante Codicem vario sensu usurpati sunt, ex pristinis fontibus recepti sunt in ius novum, tandem diversae Codicis partes a diversis redactionibus compositae fuerunt.

Bibliophilus quidam[6] in cit. periodico « Ius pontificium » vol. VIII (1928) p. 137-142. scripsit articulum: « post annos decem a Codicis I. C. applicatione » et carpit quosdam auctores, qui plus aequo circa terminologiam Codicis criticis aculeis indulserunt. Quamvis auctor sub finem articuli signaverit: « continuabitur », tamen haec continuatio desiderata fuit; post quinque annos auctor quidam certo idem, ac Bibliophilus, sub nomine « Spectator »[7] conscripsit commentariolum: « post annos 15 a Codicis J. C. promulgatione » in « Ius Pontificium », vol. XII (1932) p. 177-185. paululum cecinit receptui asserendo sincere p. 178 castigatores Codicis plerumque non immerito reprehendisse in eo rationem loquendi. « Haec enim, in ferendis legibus ac praesertim in legibus per Codicem ordinandis, nitidissimam perspicuitatem in primis ita persequi debet, ut quoties idem conceptus redit, redeat simul et verbum, etiamsi illud centies necesse fuerit in eadem pagina iterare. Sunt proinde a Codice nostro expungendae absque ulla misericordia variae unius eiusdemque conceptus acceptiones ».

J. Salsmans S. I. in « Jus Pontificium » vol. VIII. (1928) p. 158-167. tractavit « de elemento morali in C. J. C.;

---

[6] Probabiliter, ne dicam certo, fundator bene meritus periodici « Ius Pontificium », Albertus Toso.

[7] Moersdorf, l. c. p. 4. censet Spectatorem esse probabiliter eundem; in articulo mox citando Spectator ipse scribit: « e locis a *nobis* supra allatis (cf. Ius pontif. 1928 p. 139 sq.); ergo est idem auctor.

p. 166 sq. tangit etiam Codicis terminologiam enumeratque plura exempla, in quibus mens Ecclesiae vel ipsa lex naturalis non videatur ad amussim expressa ». Tandem A. Crnica O. F. M. exponendo in « Ius Pontificium » vol. XV (1935) p. 145-155 « defectus Codicis I. C. in designandis normis pro querela nullitatis » concedit p. 155 defectus et lacunas, quae omne opus humanum comitantur, praesertim vero opera, quae sunt summae molis, sicut Codex noster ». Pro terminologia Codicis perplurimum contulit Rudolphus Köstler in suo opere: « Wörterbuch zum Codex Juris Canonici »; de varianti terminologia disserit pag. 11.Prae omnibus aliis contulit operam Klaus Mörsdorf in praeclarissimo opere: « Die Rechtssprache des Codex Juris Canonici ». Qui auctor, quamvis perplurimos exponat terminos technicos Codicis, tamen non intrat in quaestionem de significatione « probabile » in Codice. Unde data, uti per longum, forsan per longius exposuimus, difficultate terminologiae in Codice, iustificari poterit conatus exponendi ex professo sensum illius « probabile » in C. J. C.; dixi *conatum;* nam scriptor optime sibi conscius est difficultatis interpretandi textus nec audet profiteri se posse explicare omnes sinus Codicis.

## II. De fontibus.

Vox « probabile » occurrit in Codice in sequentibus casibus:

1. In libro secundo solummodo in can. 209. exhibetur illud: « in dubio positivo et *probabili* ... supplet Ecclesia.

2. In libro tertio terminus probabile quattuor vicibus usurpatur:

a. can. 746 § 1 cavet: « nemo in utero matris clausus baptizetur, donec probabilis spes sit ut rite editus baptizari possit ».

b. can. 752 § 3. disserit de infideli illo posito in articulo mortis, qui « vel antea vel in praesenti statu manifestaverit aliquo *probabili* modo intentionem illum (sc. baptismum) suscipiendi ».

c. In jure matrimoniali can. 1045 § 1. commemorat casum, in quo « iam omnia parata ad nuptias nec matrimonium sine *probabili* gravis mali periculo differri possit ».

d. Tandem monet can. 1286 Ordinarios, « ne sinant ... ex solis *probabilibus* argumentis ... quaestiones agitari de sacrarum reliquiarum authenticitate ».

3. Frequentius expressio « probabile » occurrit in jure processuali:

a. Can. 1730 loquitur de testium depositione extra ordinem iudicialem recipienda, « ne ipsa ob *probabilem* testis mortem ... recipi nequeat ».

b. In can. 1825 § 1. definitur praesumptio tamquam « rei incertae *probabilis* coniectura ».

c. Can. 1833. n. 1. statuit: « In deferendo iureiurando aestimatorio iudex a parte, quae damnum passa est, petat, ut sub iurisiurandi sanctitate ... pretium et valorem (= rerum ablatarum vel dolo perditarum) secundum *probabilem* suam aestimationem exprimat ».

d. Lex de restitutione in integrum, expressa in § 1. can. 1907, experitur in § 2. quandam modificationem, « si tamen suspicio sit ex *probabilibus* indiciis petitionem factam esse ad moras exsecutioni nectendas ».

e. In tractatu de inquisitione iudiciali monet can. 1942 § 2: « nihili faciendae sunt denuntiationes ... anonymae iis adiunctis iisque aliis elementis carentes, quae accusationem forte *probabilem* reddant ».

f. In eodem tractatu can. 1946 § 2. n. 3. opponit certis argumentis « saltem *probabilia* et sufficientia ad accusationem instituendam ».

g. Inter causas, quae iustificant amotionem parochi inamovibilis can. 2147. § 2. n. 4. allegat « probabile cri-

men occultum, parocho imputatum, ex quo Ordinarius prudenter praevidit magnam in posterum oriri posse fidelium offensionem ».

4. In iure poenali una vice solum est sermo de probabili in hoc connexu: « Pariter idem legitimus Superior, licet *probabile* tantum sit delictum fuisse commissum aut delicti *certe* commissi poenalis actio praescripta sit »... (can. 2222 § 2.).

### III. De diversa significatione vocis « probabile ».

Antequam accedamus ad enucleandum conceptum illius termini « probabile », pauca dicenda erunt de significatione verbi « probare », unde « probabile » derivatur; in Codice I. C.[8]. « Probare » sumitur:

a. pro « approbare » (can. 2; can. 101 § 1. n. 2. can. 1425 § 2; cf. locum parallelum in c. 476. § 4; 480 §§ 1. 2.)[9].

b. pro experiri, tentare (can. 634; 987 n. 6)[10]. Innoc. III. in c. 16, X. III. 31. pluries disserit de anno et tempore probationis et eiusdem finem assignat sequentem: « licet tempus probationis a sanctis Patribus sit indultum, non solum in favorem conversi, sed etiam monasterii, ut et ille asperitates istius, istud et mores illius valeat *experiri* ».

c. pro rei dubiae per argumenta ostensione seu in foro iudiciali: rei controversae testibus aut tabulis iudici

---

[8] Cf. Moersdorf, l. c. p. 197; p. 333; Koestler, l. c. v. probare.

[9] Probari opus dicitur, quod tamquam e lege dicta factum approbatur; cf. l. 36; l. 37; l. 62. D. XIX. 2; l. 7 § 2. D. 48.11; cf. l. 5 § 1. D. 2. 8, c. 4. C. XXIV. qu. 3: « hil autem Deo probati sunt, qui bene possunt docere ».

[10] Regula S. Benedicti cap. 58: « de disciplina suscipiendorum fratrum »; hic legitur: « probate spiritus, si ex Deo sunt » (I Ioann. 4, 1); « iterum probetur in omni patientia » sc. novitius; c. 2. in VI°, III. 14: « ante annum probationis elapsum »; c. 3. loc.: « ante annum probationis »; « infra probationis annum ». l. 9; l. 10. D. 2.8; l. 7 D. IV. 4.; l. 2. D. 49. 2.; c. 9 X I. 14: « probatae castitatis ».

fidem facere seu pro demonstratione quadam dictorum factorumque iudici facienda de causis apud eum controversis cognoscenti [11]. (C. J. C. lib. IV. tit. X de probationibus, can. 1446; 1014; 1037; 2055; 1699 § 1; 1817; 1905 § 2. n. 2; 1748 §§ 1. 2.).

d. pro agnoscere aliquid vi auctoritatis publicae (can. 415 § 1; 465 § 4; 535 § 1. n. 2; 1369 § 1).

e. pro reperire aliquem ratione examinis idoneum (can. 1457; 1462).

f. pro invenire plausum, consensum v. g. in can. 1729 § 3: « si vero partes dissentiant (= in dubiis concordandis), aut earum conclusiones iudici non probentur »; Documentum II. C. J. C.: illud in summo Pastore eligendo Veto, si aliquoties accidit, Apostolicae Sedi probatum est numquam.

Consequenter ad diversam significationem verbi « probare », etiam verbum « probabile » diversam subeat oportet interpretationem. Köstler l. c. v. probabilis solummodo duas significationes huius termini admittit, quae tamen pro mea humili opinione non exhauriunt sensum vocis « probabilis » in iure canonico. Auctor sumit terminum « probabilis » primo pro eo, quod approbatione dignum est, quod aequum est citatque pro tali sensu can. 1833 n. 1. disserentem de probabili aestimatione pretii et valoris; secundo sumit expressionem « probabilis » pro « credibile,

---

[11] D. XXII. tit. III. de probationibus. l. 1. § 1 D. 33. 4. C. IV. 18. de probationibus. l. 1. C. IV. 7; l. 1. C. IV. 51. Decretales Greg. IX. l. II. tit. 19. de probationibus; Clemen. l. II. tit. 7. de probationibus c. 2. in VI°. III. 14: loquitur de clara probatione vel competentibus indiciis. Difficultas inveniendi sensum genuinum verbi « probare » elucet v. g. ex can. 2074., in quo est sermo de Cardinali Ponente in Causis Beatificationis curante, ut, si opus sit, per interpretem *probatum* versio processus in Urbe fiat. Koestler l. c. p. 281. v. probare n. 2. habet interpretem probatum pro examinato; Moersdorf l. c. p. 333. nota 29. invocat pro interpretatione can. 1641. et habet interpretem probatum pro interprete iurato et a iudice designato. Idem Moersdorf l. c. p. 333. censet in can. 1425 § 2 illud « probare » esse superfluum et causare falsam ideam de institutione canonica.

verisimile », citatque can. 2222 § 2; 746 § 1; 1730; 1286; 209; 1942 § 2. Köstler non citat can. 2147 § 2. n. 4., ubi est sermo de probabili crimine occulto, quod parocho imputatur. Sunt, uti suo loco videbimus, auctores, qui sumunt in hoc -canone vocem « probabile » pro eo, quod argumentis probari i. e. evinci potest. Sine ullo dubio in iure antiquo terminus « probabile » tali sensu usurpatus fuit [12]. C. 7. X. I. 2. (Innoc. III.) haec habet verba: « ut si quis se ad inopiam vergere *probabiliter* allegaverit ». Glossa marginalis notat ad hanc expressionem: « hoc est allegando probaverit, neque enim sufficit dicere, nisi probetur ». Interpretes huius canonis sumunt illud « probabiliter ad inopiam vergere » pro vera seu existente inopia; cf. Gonzalez ad cit. cap. Notae n. 3 c. Tervisini; Commentarium n. 12; Fagnani ad l. c. n. 8 sqq.; Sanchez, de matrimonio, lib. II. disp. 37. tractat quaestionem: « utrum matrimonium coram parocho et testibus initum, invalidum ob occultum impedimentum, sit, ablato impedimento, iterum coram parocho et testibus celebrandum »; primo auctor n. 1-3. allegat diversas Canonistarum opiniones; tertia, quam Sanchez ipse tenet, ait: « non esse necessarium iterum coram parocho et testibus contrahere »; n. 10. auctor explicare incipit tertiam hanc sententiam pergens n. 11: « secundo intelligenda est (= tertia sententia), nisi periculum sit ut detegatur impedimentum et *probetur in foro externo*: tali periculo existente celebrandum iterum est coram parocho et testibus. ... Immo quamvis id periculum minime sit, si impedimentum sit *plene probabile in foro externo*, credo necessario iterandum esse coram parocho et testibus: quia licet occultum in aliis decretis usurpatur, ut distinguatur contra publicum vel id,

[12] Etiam in Codice, ut taceam de iure anteriori, « probatio » significat in sensu technico, demonstrationem, argumentationem, genus argumentationis, viam rationum probandi; cf. notam 11; Moersdorf l. c. p. 332 sq.; Koestler l. c. v. probatio, De significatione vocabuli « probabilis » in latinitate confer: Aeg. Forcellini, Lexicon totius Latinitatis, ed. 1940 v. probabilis.

quod deductum est ad forum contentiosum ... at in praesenti, ut impedimentum dicatur occultum, ut eo sublato possit matrimonium clam celebrari, credo occultum accipi, ut distinguatur contra *plene probabile*, quia, quando impedimentum plene probari potest *in foro externo*, tunc proculdubio, si matrimonium clam ratificatum validum esset, sequerentur ex eo omnia inconvenientia, quae olim ex matrimonio clandestino valido sequebantur. ...Dicitur autem *plene probabile in foro externo* impedimentum, ad dissolvendum matrimonium publice contractum, *quando duobus testibus probari potest* ». Textus est sat clarus: probabile est id, quod in foro externo probari potest. S. C. C. in C. Parisien. Nullitatis matrimonii de Bonnevalle-de la Fressange, 17 dec. 1898 (Thesaurus S. C. C. vol. 157. p. 906-926) allegat pag. 918. textum Sanchesii [13], postquam sequentia verba praemisit: « Advocato superest tantum, ut *probetur* publicum fuisse impedimentum in causa de qua agitur. Sed advertit, in iis, quae ad impedimenta pertinent communi disciplina receptum est publicum censeri non modo, quod in foro probatur, sed quandocumque *probari potest*. Rem concinne et sapienter illustrat Sanchez; « hic tale impedimentum l. c. nominat *plene probabile* [14]. Porro Wernz, de matrimonio ed. 2 n. 144. disserendo de obli-

[13] Erronee S. C. C. citat lib. II. disp. 36 pro 37; de impedimento, quod probari potest (= probabile est), cf. S. C. C. in C. Ferrarien. de 29 jan. 1881. (Thesaurus S. C. C. vol. 140 p. 9-51;) haec sententia citatur a Wernz, de matrimonio n. 216. V. uti de 29 jan. 1889; in nota 10 recte: 29. jan. 1881; secunda editio eandem falsam datam exhibet.

[14] Hilling, Archiv f. R. K. R. vol. 102 (1922) p. 9. loquitur de *probabilitate* impedimenti in hoc sensu: pro delictis (can. 2197) legislator propriam definitionem dedit, quae non fundatur in criterio *probabilitatis* (Beweisbarkeit - quod probari potest), sed in divulgatione notitiae; p. 11: nota distinctionis est hic (in impedimento occulto et publico) non probabilitatis (Beweisbarkeit), sed divulgatio. Oppositio ad publicum in hoc sensu est: non notum seu incognitum. Haec est communis significatio vocis: publicum resp. occultum; significatio: *probabile* resp. *non probabile* (= quod probari non potest) est haud consueta; unde per se summo gradu possibile est, quod omnia impedimenta publica = *probabilia* non nota esse seu in casibus occultis verificari possunt.

gatione fidelium denuntiandi impedimenta haec verba allegat: « si vel unus *probabilis* testis in foro externo illud impedimentum ad parochum deferat ... matrimonii celebratio sponsis est interdicenda ». Sine dubio ille testis probabilis est ille, qui impedimentum *probare* potest. Haec mens auctoris elucet ex citationibus in nota 52. positis; primo citatur cap. 27. X. IV. 1., ubi est sermo de persona gravi, cui fides est adhibenda, sufficienti ad impediendum matrimonium; quem locum invocat etiam citatus a Wernz cl. Gasparri (de matrimonio, ed. 2. vol. I. n. 12). ad tertium: « quando autem sunt impedimenta iure ipso impedientia matrimonium, habet ius in utroque foro impediendi, si unius testimonio *probari* possit ». Tandem Wernz citat Instruct. Card. Rauscher § 106, ubi occurrunt verba « depositio unius testis fide digni ... numquam non sufficit, ut nupturientes ... repellantur » [15]. Cf. tandem S. R. R. in C. Nullitatis de 14. mart. 1934 n. 4 loquitur de impedimento criminis, quamquam *probabile* in foro externo sit. (Decisiones S. R. R. vol. 26, 1934 p. 106.).

Fontes insuper loquuntur de ignorantia *probabili*. Estne haec ignorantia forsan illa, *quae probari* in foro externo potest? C. 9. X. V. 27. haec habet verba: « quia tempore suspensionis *ignari* celebrastis divina, vos reddit ignorantia *probabilis* excusatos »; agebatur in casu de duobus canonicis Pragensis Ecclesiae, qui pro ordinatione eiusdem Ecclesiae ad Sedem Apostolicam accesserant; sed iis obiectum fuit, quod erant suspensi ideoque repellendi; ipsi voluerunt *probare* sententias illas nullas esse et eis *ignorantibus* latas fuisse. Sed quia tempore suspensionis *ignari* celebrarunt divina, eos *probabilis* excusat ignorantia. Talis ignorantia utique *probari* poterit; nam sententia suspensionis lata est ipsis *ignorantibus* [16].

---

[15] Cf. C. Veglen. Inhibitionis matrimonii S. C. C. 26. jul. 1873. (Thesaurus S. C. C. vol. 132. p. 513-538.) p. 537: « haud requiri probationes de rigore iuris, sed unius personae testimonium ».

[16] C. Gregorii IX. « Apostolicae Sedis » de 22 apr. 1227.

(Cf. c. 9. X. II. 25: « quas (sententias) licet proponeretis vos posse nullas esse per testes idoneos et instrumenta probare »).

Praeter ignorantiam probabilem in Fontibus occurrit etiam *error probabilis*. C. 6. X. IV. 15 asserit: « sententiam divortii per *errorem, licet probabilem,* novimus esse prolatam ». Contextus, historia iuris, auctores postulant aliam interpretationem ac illam, quae de *probabili* ignorantia supra insinuavi; idem valet de errore probabili. Gregorius IX in cit. cap. 9. de canonicis Pragensibus *probabilem* ignorantiam, quae ipsos excusat, ignorantiae crassae et supinae et erroneae opponit; unde etiam glossa v. probabilis hanc oppositionem exhibet: « sic ergo probabilis ignorantia tantum excusat, et non crassa et supina ». Iuxta Kuttner, Kanonistische Schuldlehre von Gratian bis auf die Dekretalen Gregors IX. pag. 151 ssq. conceptus ignorantiae probabilis in iure canonico sese efformavit sequenti modo: iam ante Rolandum Bandinelli (Alex. III.) ius Romanum coepit suum influxum exercere in doctrinam Canonistarum circa ignorantiam et creavit seriem distinctionum diversam ab illa theologorum et ca-

---

(Potthast, Regesta Pontificum Romanorum, vol. I. n. 7882; 9611. Richter-Friedberg, Decretales, habent IV. Id. Maii. a. 1227, ad c. 9. X. II. 25; sed ad cap. 9 X. V. 27 citat datam: X. Kal. Maii) Wernz cit. cap. 9. X. V. 27. allegans haec scribit verba: « excusat igitur ab irregularitate ista incurrenda omnis ignorantia *probabilis,* non vero crassa et supina aut erronea » / Decretales lib. II. n. 136 nota 373.; Hinschius, System des Katholischen Kirchenrechts, vol. I. p. 53 nota 2. citando idem caput. — erronee c. 3 — declarat in textu: « *ein probabler* Irrtum über das Vorhandensein der eben gedachten Strafen oder Censuren hindert den Eintritt der Irregularität ». Trident. sess. 24. de ref. matrimonii c. 5. tractat de matrimonio inter gradus prohibitos contrahendo et statuit hanc normam: si quis intra gradus prohibitos *scienter* matrimonium contrahere praesumpserit, separetur; qui *ignoranter* hoc fecerit, sed neglectis solemnitatibus, iisdem subiciatur poenis; si vero solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cuius ille *probabilem* ignorantiam habuit, tum facilius cum eo dispensari poterit. De formula in concedenda convalidatione matrimonii: « dummodo — ignorantia huiusmodi *probabilis* exstiterit », confer Linneborn, Eherecht, ed. 4-5. p. 433.

nonistarum; quae nova distinctionum series fundatur in totaliter alio divisionis principio ac in illo, quod ecclesiastici tenuerunt, sc. divisionis in vincibilem et invincibilem. Gratianus in Dict. p. c. 12. C. I. qu. 4. nixus iure Romano exponit conceptum de ignorantia. Secutus manifeste Dig. 22, 6 (de iuris et facti ignorantia) et ipse Gratianus introduxit distinctionem hanc: « Est enim ignorantia alia facti alia iuris », et distinguit utramque in plures species; pro ignorantia iuris subdistinctiones hauriuntur ex iure Digestorum; Decretistae subdistinctionibus Gratiani circa ignorantiam facti paulo post substituerunt conceptus iuris Romani. Quo Gratiani Dicto originem sumpsit in scientia canonistica illa doctrina de ignorantia, quam hausit ex fontibus Digestorum; tum nova tum antiqua doctrina de proprio suo pede et suo Marte incedit; sed in Decretalibus et Decretalistis antiqua ignorantiae distinctio a nova plene absorbetur[16].

Prout apud Gratianum, ita apud Decretistas, Decretalistas, in ipsa Decretalium legislatione principium divisionis usurpatae pro diversis ignorantiae speciebus est ignorantia iuris et facti[17]. Pro ignorantia facti Gratianus introduxit subdivisionem: distinguendo sc. « factum, quod oportet scire » et « factum, quod non oportet scire ». Quae distinctio non habet fundamentum in iure Romano, sed a Gratiano iustificatur ex locis S. Scripturae; quidam Decretalistae eandem retinuerunt v. g. Rolandus, Iohannes Faventinus; Stephanus, Huguccio (cf. Kuttner l. c. p. 153

[16] Sicardus ad C. I. qu. 4. sensit novum conceptum ordinem et ideo post propositam doctrinam de ignorantia facti et iuris continuat sermonem hisce verbis: « hee distinctiones sunt *legaliter* introducte, *canonice* vero sic dividitur: ignorantia alia utilis, alia indifferens, alia necessaria, alia perniciosa ».

[17] Kuttner l. c. p. 152. nota 3. citat pro suo asserto copiam auctorum, inter quos Magistrum Albertum ad c. 4. Comp. II. tit. de sent. excomm. (= c. 15. X. V. 39) cum verbis sequentibus: « *probabilis* facti ignorantia eum excusaret ... iuris vero ignorantia non excusaret ». De Magistro Alberto tamquam glossatore Compilationis secundae Gillmann conscripsit pro sua summa eruditione tractatum memorandum in « Archiv f. K. K. R. vol. 105 (1925) p. 122-191.

nota 2); alii ex Decretistis huic subdivisioni renuntiaverunt; item omnes Decretalistae. Tali distinguendi modo Decretistae et quidem primo Rolandus illi termino: « ignorantia facti quod oportet scire » ulteriorem distinctionem adiecerunt, sc. illam: « ignorantia crassa et supina » et « ignorantia, quae caderet in discretissimum virum »[18]; quae ignorantia vocabatur « probabilis » « iusta », « verisimilis »; pro voce « discretissimus » occurrit apud Decretistas etiam vocabulum: « peritus et discretus », « peritissimus », « constantissimus »[19]. Qui termini formati sunt ad normam seu exemplar iuris Romani. « Iusta ignorantia » invenitur in l. 89 § 7. D. 31; l. 42 D. 50. 17; error probabilis nominatur in l. 5 D. 41. 10. Huguccio ad pr. D. 38 scribit: « ignorantia facti alia est verisimilis et probabilis, haec excusat, quia etiam *peritissimos* fallit »; confer ad hunc locum J. C. Neratium in l. 2 D. XXII. 6; « facti interpretatio plerumque etiam *prudentissimos fallit* ».

Expressio: « ignorantia probabilis » facta est apud Canonistas usitatissima et importavit in oppositione ad ignorantiam supinam et crassam, quae quandoque etiam « dissoluta » nominatur, carentiam omnis negligentiae et adhibitam sufficientem diligentiam[20]. Gl. « scienter » ad tit. I.

---

[18] Termini « crassa » et « supina » sumpti sunt directe ex Digestis (l. 6. D. 22.6); « ignorantia, quae caderet in discretissimum virum » non occurrit quidem in fontibus iuris Romani, sed expressiones analogicae inveniuntur v. g. « metus, qui in constantissimos cadat » (l. 6. D. IV. 2); cf. l. 15 § 1. D. 18.1, ubi habetur sententia: « ignorantia quae non in supinum hominem cadit ». Iuxta Gothefredum in h. l. homo supinus est homo summe negligens et nimio plus ignorans, quam par sit ». (cfr. l. 43 § 1; l. 55 D. XXI. 1; l. 9 § 2. D. XXII. 6).

[19] Kuttner l. c. pag. 155 nota 1. exhibet multas citationes.

[20] Cf. l. 5. D. 41. 10: « quia in alieni facti ignorantia tolerabilis error est ». De mensura adhibendae diligentiae disputabant auctores. Rolandus pro norma sumpsit virum discretissimum; alii virum diligentem, discretum, peritum. Summa Bambergensis censuit in l. 9 § 2. D. XXII. 6. normam mediocritatis expressam fuisse; nam « recte Labeo definit scientiam neque curiosissimi neque negligentissimi hominis accipiendam, verum eius qui eam rem diligenter inquirendo notam habere possit » De termino « probabilissime errare, ad hoc ut excusetur » cf. Kuttner l. c. p. 159 sq. nota 4; probabilissime errat, qui summam

cap. un. lib. IV. Clem: « Ignorantes ergo non ligat constitutio, quod intelligo in ignorantia facti probabili et non affectata ».

Tandem auctores sumpserunt ignorantiam probabilem in oppositione ad ignorantiam crassam et supinam. Reiffenstuel, Ius Canonicum Universum, lib. V. tit. 27. n. 10. haec ad rem habet: « Hinc colligitur primo eos, qui invincibiliter ignorant se esse excommunicatos, suspensos, vel interdictos, non incurrere hanc irregularitatem. Doctores c. Apostolica g. h. t. ibi: Vos reddit probabilis ignorantia excusatos; bene vero illos, qui huius ignorantiam vincibilem seu crassam aut supinam habent, arg. cit. c. Apostolica, et ibi glossa verb. Probabilis. Abbas n. 3. Ratio est; quia ignorantia invincibilis et probabilis, non item crassa et supina excusat a culpa »[21]. Wernz, Jus Decretalium, vol. II. n. 136 nota 373: « excusant igitur ab irregularitate ista incurrenda omnis ignorantia probabilis, non vero crassa aut supina aut erronea. (cfr. cap. 9. X de cleric. exc. V. 27 »; Sanchez, de matrim. lib. VIII. disp. 25. n. 27 ssq.).

## V. Examen singulorum canonum.

Data explicatione diversi conceptus vocis « probabile » in C. J. C. et in praecedenti doctrina canonistica accedere licebit ad interpretationem singulorum canonum.

1. *Canon 209*. Vi can. cit. « in dubio positivo et *pro-*

---

adhibuit diligentiam. (l. c. p. 159); Joh. Teuton. glossa ord. ad C. I. qu. 4. c. 12. v. omnis « ad hoc autem, ut quis *probabiliter* dicatur errare, non requiritur, quod sit nimis scrupulosus et diligens et curiosus in inquirendo, nec quod sit nimium negligens et dissolutus in inquirendo »; l. 29 D. XVII. l. loquitur de *dissoluta* negligentia; l. 55 D. XXI. l. habet verba dissolutam ignorationem emptoris ». Richardus nominat etiam ignorantiam *pinguem* (Kuttner l. c. p. 157 nota 4).

[21] Reiffenstuel interpretando Trid. Sess. de ref. matrim. cap. 5., ubi est sermo de probabili ignorantia, in Appendice de dispensatione super impedimentis § 2. n. 57. opponit ignorantiam probabilem malae fidei; « bona fide, id est, cum probabili ignorantia obsistentis Impedimenti ».

*babili*... supplet Ecclesia In hoc canone illud « probabile » vix creabit difficultatem; nam dubium habetur probabile, si ratio pro ipso alicuius momenti seu gravis est [22].

2. *Canon. 746 § 1.* « Nemo in utero matris clausus baptizetur, donec *probabilis* spes sit, ut rite editus baptizari possit ». Ratio huius prohibitionis elucet; exstat *dubium* prudens de validitate baptismi in casu; quod dubium iustificatur in C. Sutrina S. C. C. 12. jul. 1794. (Fontes C. J. C. vol. VI. n. 3890 p. 170 sq; Augustine, Code of Canon Law, ed. 3. vol. IV. p. 49. nota 8 falso habet July 12. 1797).

Casus hic fuit: desperato iam naturali partu Fortunatae Gioacchini advocatus est chirurgus, ut puerperae periclitanti adiutricem praeberet manum. Foeti caput infixum ille deprehendit tra l'osso pube ed il sagro. Tum ex aperto iam uteri ostio capitis verticem inspexit, che per quattro buone dita traverse chiaramente vedevasi scoperto da ogni membrana nel tratto della vagina. Deinde aquam sumpsit con un bichiere buttandola sul vertice della creatura, eamque sub conditione baptivavit. Requisitus, num tetigisset aqua verticemque abluisset capitis sub iuramento declaravit che fisicamente doveva toccare il vertice, giacchè li capelli non erano bastanti a ripararla, avendone buttata sufficiente quantità. Post haec Fortunata vi-

---

[22] Epitome, ed. 5. vol. I. n. 322. 5° et passim auctores. v. g. Payen S. I. de matrimonio ed. 2. vol. I. n. 184 nota 1; S. C. C. 12. jul. 1794 (Fontes C. J. C. vol. VI. n. 3890). In hoc sensu « probabile » saepius occurrit; c. 3. X. IV. 3. loquitur de probabili coniectura contra licitum matrimonium contrahendum; opponuntur manifesta documenta; gl. v. « probabilis coniectura » habet: nota, quod probabilis causa impedit matrimonium contrahendum, c. 13. X. IV. 17: Romanus Pontifex illegitimos, etiam adulterinos, dispensavit, ut possint ad episcopotum promoveri; « ex quo verisimilius creditur et *probabilius* reputatur, ut eos ad actus legitimare valeat saeculares ». Innoc. XII. C. « Romanus Pontifex » 3. sept. 1692 § 11 (Bull. Rom. ed. Mainardi tom. IX. p. 265 ssq): « si probabile mortis periculum in itinere pertimescunt ». Pius XI. C. « Si umquam » 15 jul. 1924. (A. A. S. vol. XV. p. 312. ad VII;) « gravi et probabili de causa ». (l. c. p. 315. XVI. 2°: « ex iusta et probabili saltem causa ». Gregor. IX. C. « Parens » 13. apr. 1231.) Bull. Rom. ed. Mainardi vol. III. 266 ssq.: suspicio probabilis.

ventem in lucem edidit. Orta hinc quaestione de collati baptismi validitate institerunt parentes apud parochum, ut iterum sub conditione puerum baptizaret. Votis tamen non cessit parochus, quum iam collatum baptismum validum reputaret. Instante infantis patre res delata est ad S. C. C. Sutrinus episcopus ob doctorum discordiam baptismum autumavit dubium et iterationi sub conditione locum esse censuit. S. C. C. item baptismum sub conditione iterandum decrevit die 12. jul. 1794. Ratio decisionis duplex erat: dubium, num revera aqua tetigerit verticem capitis infantuli an solum matris corpus; secundum dubium hoc fuit: « an scilicet reserato materni uteri ostio, quod puerperii initio contigit, valide baptizetur infans, cuius corpusculum, etsi nulla sui parte in lucem prodierit, aqua nihilominus saltem per siphunculum tangi potest. De hoc quidem dubio in utramque partem disputant Theologi et Canonistae ». Textus modo citatus est ex Bened. XIV. de Synodo lib. VII. cap. I. n. 2; in hoc numero et sequentibus quaestio exponitur[23].

« Probabilis spes » in canone 746 § 1. sumenda videtur pro spe *fundata* in gravibus rationibus artis obstetriciae modernae sat perfectae, quin tamen ob alias rationes v. g. anatomicas periculum mortis in utero matris exclusum sit. In hoc sensu v. g. Jone, Gesetzbuch des kanonischen Rechtes, vol. II. p. 24. canonem 746 § 1. intelligere videtur; item Blat, de sacramentis, ed. 2. n. 30: « si ergo talis spes prudenter evanescat, prohibitio cessat ». Sipos, Enchiridion, ed. 4. p. 443: « si autem *nulla* spes

---

[23] Quae decisio ansam dedit centum annos post novo dubio, quod hisce verbis concipi potest: decretum 12. jul. 1794 iustificari potest ex eo, quod illo tempore certum esse non potuit aquam caput infantis revera attigisse. Ideo quaesitum: « si in aliquo casu particulari medicus vere peritus et probus testetur per methodum longe perfectam, perfectiorem, quae nunc adhibetur, aquam sine dubio caput infantis in utero attigisse, debeturne infans iterum sub conditione baptizari post ortum »? S. C. C. 16. mart. 1897. respondit: « Servetur (citatum) decretum S. C. Concilii die 12. julii 1794 » (Fontes C. J. C. vol. VI. n. 4302. pag. 766).

adsit » ... Ergo probabilis spes in hoc sensu: pro utraque conditione infantis sc. vita et morte militant graves rationes. Sed cum tali interpretatione non omnes auctores conveniunt. J. Salsmans S. I. in suo eleganti articulo « de elemento morali in Codice I. C. » (Jus Pontificium, vol. VIII, 1928, p. 159-167) tangit etiam terminologiam Codicis scribens: « liceat quaedam recensere, in quibus mens Ecclesiae vel ipsa lex naturalis non videatur ad amussim expressa. Sic in can. 746 de non baptizando infante in utero « donec probabilis spes sit, ut rite editus baptizari possit » verbum « donec » certe significat: per totum tempus, quo ... quamdiu ... Iamvero doctrina communis est propter caritatis in extrema necessitate praeceptum licere, immo obligatorium esse baptismum in utero statim atque imminet notabile periculum ne moriatur infans, antequam in lucem edatur. Quod plus dicit quam Codicis verba sonant. Secundum Vermeersch-Creusen (Epit. II.[2] n. 30) « probabilis spes » potest audiri ita probabilis ut aequivaleat morali certitudini » [24]. Huiusmodi auctores debent sumere « probabilis spes » pro spe examinata et probata tamquam solida, firma; confer can. 987 n. 6: « donec iudicio Ordinarii, sufficienter probati fuerint ».

3. *Canon 752 § 3.* Respicit illum adhuc infidelem, po-

[24] Epitome in posterioribus editionibus eandem sententiam repetit; ideo tenet Epitome: « quare si probabile periculum sit mortis ante nativitatem, tentandum diximus baptismum in utero » A. Crnica O. F. M., Commentarium, vol. II. de Rebus. P. I. p. 12. ex una parte loquitur de *probabilitate* spei, de qua iudicant obstetrices, medici, chirurgici; ex altera parte asserit: « si, iudicio horum *probabile* sit periculum mortis infantis ante nativitatem, tentandus est baptismus in utero ». Prümmer, Manuale Juris Canonici, ed. 6. (1933) curante Engelberto Münch, qu. 279. 5 breviter sic sese exprimit: « infans in utero materno ne baptizetur, nisi *aliter* baptizari nequit »; auctor iuxta haec verba videtur postulare certitudinem moralem de impossibilitate partus vivi; idem in « Manuale theologiae moralis » ed. IX. (1940), vol. III. n. 129. haec habet verba: « infans in utero materno exsistens baptizari potest et debet, si versatur in periculo vitae *neque* probabilis spes est ut rite editus baptizari possit ». Si haec verba rite intelligo, talis infans baptizari non potest, si non obstante periculo vitae spes probabilis felicis partus data est.

situm in articulo mortis, qui « vel antea vel in praesenti statu manifestaverit aliquo *probabili* modo intentionem illum (= baptismum) suscipiendi ». Quid significat ille probabilis modus? Sunt textus iuris antiqui, qui insinuant illud « probabile » sumendum esse pro eo, quod probari potest argumentis. Can. 75 « Aegrotantes » D. IV. de consecratione statuit: « Aegrotantes, si pro se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium sui dixerint baptizentur »[25]; glossa marginalis ad v. « dixerint » prout editio Romana, haec habet verba: « scilicet per alium, qui eius voluntatem *probavit* ». Glossator citat primo cap. 7. « qui recedunt » C. XXVI. qu. 6., ubi loquitur: « similiter subito obmutescens (prout statutum est) baptizari potest, si voluntatis praeteritae *testimonium aliorum verbis* habet »; deinde citatur cap. 49 « multiplex » C. XXXIII. qu. III. de poenit. D. I.: « quod si aliqua aegritudine ita fuerint aggravati, ut quod ante poscebant sub praesenti significare non valeant, *testimonia* eis fidelium circumstantium prodesse debebunt ». Nihilominus probabilis ille modus usurpandus est in hoc sensu: pro intentione suscipiendi baptismum stant graves rationes, quin tamen prudens dubium in contrarium exclusum sit[26]. Quod constat ex pluribus

---

[25] cap. « Aegrotantes » est in editione Romana Decreti a. 1584. cap. 73.; de variis lectionibus textus cf. Richter-Friedberg, Decretum Magistri Gratiani; idem dic de citandis cap. 7 et 49.

[26] Crnica l. c. p. 16. scribit: « haec intentio manifestatur in illo infideli, qui beneficia a religione christiana accepit eique gratus remansit, aliquando etiam instructioni de religione christiana vel sacris functionibus astitit, cum christianis libenter conversatus est aut aliud quid egit, iex quo inclinatio eius erga religionem christianam patet, nisi contrarium positive constet. Id valet imprimis de regionibus infidelium. Non raro accidit in magnis civitatibus, filios etiam baptizatorum non donari baptismo et crescere tamquam infideles. Pro his difficilius concludi potest in articulo mortis intentio baptismum recipiendi. In casu dubii sub conditione: si capax es ». Cappello, de Sacramentis, vol. I. ed. 3. n. 160 censet: « in dubio, etiam levissimo, an moribundus infidelis, sensibus destitutus, manifestaverit intentionem suscipiendi baptismum, non solum potest, sed debet sacramentum sub conditione administrari ». Blat, de Sacramentis n. 36 habet probabilem modum illum, qui rationabile fundamentum petitionis baptismi habeat.

decretis hanc materiam tangentibus. S. C. S. O. 13. jan. 1864 (Fontes C. J. C. vol. IV. n. 975. p. 284) respicit haereticos et schismaticos quidem in articulo mortis constitutos, qui nullo praevio actu, saltem implicite indicari possunt reconciliati cum Ecclesia sub ratione absolutionis sacramentalis; tamen principium a S. C. enuntiatum casui nostro applicari poterit, sc. « qualora il moribondo eretico o scismatico avesse dato un qualche segno su cui fondare un ragionevole dubbio che quegli aderisca alla santa Chiesa cattolica ». Quae verba insinuant probabilem modum intentionis, de qua can. 752; S. C. S. O. 17. maii. 1916 permisit pro schismaticis in mortis articulo sensibus destitutis sub condicione absolutionem et extremam unctionem administrandam, « praesertim, si ex adiunctis coniicere liceat eos implicite saltem errores suos reicere ». (Cappello, de Sacram., vol. I. n. 73. ed. 3) [27].

Pressius ad rem nostram pertinet decretum S. C. S. O. in Perth. 18. sept. 1850 ad 2. (Fontes C. J. C. vol. IV. n. 912.). Quaesitum fuit: « se un adulto selvaggio in articulo mortis per brevità del tempo, per mancanza di idee e per ignoranza della lingua non solo non può essere istruito nelle cose necessarie necessitate medii, ma neppur formare un atto di contrizione o d'attrizione dei personali peccati possa essere battezzato ». Responsio haec fuit: « si antea dederit signa velle baptizari, vel in praesenti statu nutu aut alio modo eandem dispositionem ostenderit, baptizari posse sub conditione, quatenus tamen missionarius,

---

[27] ad quaestionem, utrum S. C. S. O. in decreto 20. jul. 1898 (Fontes n. 1203. ad I. p. 503 sq.) mitiorem disciplinam secuta fuerit, confer tractatum gravem Ioh. B. Umberg S. I. in « Periodica » vol. XVIII. p. 112. cum stella; auctor a pag. 97 cum stella usque ad p. 122 cum stella tractat quaestionem: « quo iure haereticis et schismaticis sacramenta sint neganda ». Epitome ed. 5. vol. II. n. 35 p. 22. nominat elucubrationem Umberg severiorem; Vermeersch S. I. in « Periodica » l. c. pag. 123 cum stella usque ad pag. 148 cum stella publicavit memorabilem tractatum de hac materia sub titulo: « practica disquisitio de sacramentis conferendis vel negandis acatholico »; cf. Prümmer, Theol. moralis ed. 9. vol. III. n. 135.

cunctis rerum adiunctis inspectis ita prudenter iudicaverit »[28]. S. C. S. O. sub 30. mart. 1898 (Fontes vol. IV. n. 1197) respondit ad quaesitum, utrum missionarius conferre possit baptismum in articulo mortis mahumedano adulto, qui in suis erroribus supponitur in bona fide, si iam advertentiam (= conscientiam sui) amiserit. S. C. allegavit decretum S. O. ad episcopum Perthensem de 18. sept. 1850[29].

4. *Canon 1045 3 1.* Tangit factum, quod « iam omnia sunt parata ad nuptias nec matrimonium sine *probabili* gravis mali periculo differri possit ». Explicatio huius termini « probabile » vix creabit difficultatem; periculum probabile est illud, pro quo timendo graves militant causae[30].

5. *Canon 1286.* Qui canon non approbat illorum catholicorum usum agitandi quaestiones de sacrarum reliquiarum authenticitate ex solis *probabilibus* argumentis. Vix dicendum in hoc canone probabilia argumenta opponi certis.

6. *Canon 1730.* Item non habebitur difficultas in ex-

---

[28] Lehmkuhl, Theologia moralis, ed. 12. vol. II. n. 107. notat ad hoc decretum: « quod puto facilius iudicari posse, quando moribundus propterea hucusque noluerit re ipsa baptismum recipere, quia lex christiana iubet vitia reprimere, alioquin christianam religionem non aversatus, quam si moribundus ad extremum usque christianae religionis osorem se ostendit ». Epitome l. c. commemorat Lehmkuhl l. c. ed. 9. II. 78. hisce verbis: « animus christianismo contrarius, quo conabatur ante stimulos excutere ... esse potest et ratio putandi moribundum in periculo positum, mentem mutasse et nunc fidem et baptismum desiderare ». Quae verba non reddunt genuinum sensum ipsius Lehmkuhl.

[29] S. C. S. O. 6. jul. 1898 ad IV. (Fontes vol. IV. n. 1200) loquendo de baptismo infantium non baptizatorum ex matrimonio mixto haec habet verba: « si *possibilis* spes affulgeat fore, ut huiusmodi pueri possint suo tempore in vera religione institui ... quod si *nulla* via possit huiusmodi *spes moralis* haberi ».

[30] S. C. S. O. Instr. 20. jun. 1866 ad 40: « dubium *probabile* invaliditatis ... non *levis* in contrarium suspicio vel scrupulus sufficit ... requiritur *probabilis* dubitatio, quae facta etiam diligenti indagine discuti nullo modo possit » (Fontes C. J. C. vol. IV. n. 994 p. 297). cf. S. R. R. 22 apr. 1913 (Decisiones, vol. V. p. 268 ad 8).

ponendo hoc canone in quo est sermo de *probabili* testis morte.

7. *Canon 1825* § *1.* Rei incertae *probabilis* coniectura resonat ordinariam vocis « probabile » significationem.

8. *Canon 1833* n. *1.* Illa *probabilis* aestimatio damni illati maiorem creat difficultatem. Koestler l. c. v. « probabilis » sumit in hoc sensu: « aequus, iustus ». Mihi videtur: probabilis aestimatio opponitur *certae* aestimationi, quae in casu haberi nequit. Quod mihi elucere videtur ex ipso contextu; nam vi can. 1832. potest iudex parti quae damnum passa est, iusiurandum aestimatorium deferre, si de iure ad damni reparationem constet, sed quantitas damni aestimari *certe* non potest. Si autem probabilis aestimatio eundem sensum ac aequa et iusta aestimatio haberet, difficulter intelligeretur can. 1833 n. 2.: « si taxatio *nimia* videatur, eam ad *aequitatem* reducat, prae oculis habens omnia *indicia* et *argumenta* usu comprobata, adhibitis etiam, si opus sit, peritis, quo magis *veritati* et *iustitiae* consulatur ».

Etiam Schemata ad can. 1833. eandem explicationem expostulant. Schema A. tit. X. cap. VII. can. 301 § 1: « quoties valor rei petitae nequeat per alias probationes *sufficienter* determinari »; clarius adhuc Schema B. can. 182 § 1.: « iuramentum aestimatorium illud est, quod iudex actori defert, si actor probaverit quidem assertiones suas, sed remaneat *dubium* circa valorem rei petitae ». Schema D. can. 345: « si parti competat damni alicuius refectio, sed quantitas damni aestimari *certe* non possit »; idem in Schemate E. can. 368; Schema F. can. 317: « Si de iure ad damni reparationem *certo* constet, sed quantitatis damni aestimari *certe* non possit »; in Schemate G. can. 317. illud « certo » ante « constat » omissum est[31].

---

[31] Aestimatoria actio proponitur dubitationis tollendae causa (cf. Lexicon Juris civilis et canonici, Lugduni 1580) v. aestimatoria actio; de sensu et vi iuramenti litis aestimaturii iuxta Decretales confer Wernz, Jus Decretalium, vol. V. n. 648 ssq.; Reiffenstuel, Jus can., tom. II. tit. XIII. n. 122. sq.; pro iure

Regulae servandae in iudiciis apud S. R. Rotae Tribunal 4. aug. 1910 § 160 haec habent: « iuramentum in litem seu aestimatorium litis illi parti defertur, quae *probaverit* sibi deberi, quod sua actione continebatur, cuius debiti *valor* aut quantitas, *ordinariis probationibus* probari nequit » [32].

9. *Canon 1907* § 2. Loquitur de suspicione ex *probabilibus* indiciis petitionem restitutionis in integrum factam fuisse ad moras exsecutioni sententiae nectendas. Sine dubio opponuntur *probabilia* indicia certis argumentis seu aliis verbis: adsunt rationes graves pro suspicione morarum nectendarum, sed certae probationes non existunt [33].

10. *Canon 1942* § 2. Quo in canone est sermo de iis elementis, quae accusationem forte *probabilem* reddant. Koestler l. c. v. « probabilis » sumit in can. 1942 § 2 in sensu « verisimilis, credibilis ». Iuste quidem; agitur enim de inquisitione speciali in ordine ad iudicium criminale facienda; iamvero vi can. 1937. inquisitio specialis locum habet, si delictum nec *notorium* sit nec omnino *certum*, sed innotuerit sive ex rumore et publica fama sive ex denuntiatione sive ex querela damni, sive ex inquisitione generali ab Ordinario facta sive alia quavis ratione. Si haec inquisitio facta est, sequentes possibilitates datae esse poterunt ad normam can. 1946: denuntiatio est destituta solido fundamento; aut indicia criminis habentur, sed nondum sufficientia ad accusationem instituendam; tandem *certa* aut saltem *probabilia* et sufficientia ad accusationem instituendam argumenta praesto sunt. Unde in can. 1942 § 2. accusationis *probabilitas* data est, si habentur iuxta

---

Codicis v. g. Wernz-Vidal, de processibus n. 535 ssq.; Lega-Bartoccetti, Commentarius in iudicia ecclesiastica vol. II. p. 838 ssq. Roberti de processibus n. 385 ssq; Epitome J. C. ed. IV. vol. III. n. 209; aliosque auctores.

[32] Fontes C. J. C. vol. VIII. p. 577.

[33] cf. Lega, l. c. vol. III. p. 47. ad 12.: « non desunt indicia peti restitutionem ad retardandam sententiae exsecutionem »; generaliter auctores repetunt verba Codicis.

prudens Ordinarii iudicium argumenta saltem probabilia ad accusationem instituendam [34].

11. *Canon 1946* § *2. n. 3.* Opponens certis argumentis « saltem *probabilia* et sufficientia ad accusationem instituendam », satis expositus censetur in praecedenti numero.

12. *Canon 2147* § *2. n. 4.* Commemorat « probabile crimen occultum, parocho imputatum, ex quo Ordinarius prudenter praevidet magnam in posterum oriri posse fidelium offensionem ». Quid significat in casu *probabile* delictum? Bene scribit Prümmer, Manuale J. C. ed. 6. (curante Münch) qu. 159. p. 219. nota 126: « Verbum probabile aliquam difficultatem facessit. Mihi videtur illud esse sumendum in sensu veterum auctorum: probabile id est, quod probari potest; non autem in sensu modernorum: probabile est illud, quod est incertum. Quare sensus citati canonis videtur esse intelligendus prorsus eodem modo ac can. 1. n. 6 Decreti « Maxima cura » d. 20 Aug. 1910: « crimen, quod quamvis actu occultum, mox publicum cum magna populi offensione fieri posse prudenti Ordinarii iudicio praevideatur » [35]. Cui opinioni favent sequentes ra-

---

[34] Lega l. c. p. 234 sq. censet: quamvis ex ordinarie contingentibus nihili faciendae sint denuntiationes, de quibus in can. 1942 § 2, tamen si aliae adsint circumstantiae, coniecturae, quae denuntiationem reddant *gravem et probabilem*, haec possunt esse argumenta sufficientia; cf. Wernz-Vidal l. c. p. 679: « solida ratione *probabili* constet existentia facti criminosi »; « nec certum nec solide *probabile* resultat eius auctorem fuisse personam inquisitam »; « si certo existente vel solide *probabili* facto criminoso; nota 11: « *probabilis* auctor delicti »; p. 680: « si certo aut *probabile* existat factum delicti »; « solida et *probabilis* ratio pro delicti imputatione non habetur ».

[35] Decretum « Maxima cura » in « Fontes C. J. C. » vol. V. n. 2074 p. 35 ssq. De probabili tamquam eo, quod in foro externo probari potest cf. v. g. Sanchez, de matrim. lib. II. disp. 37. n. 11. Mirum, quod Koestler, l. c. sub v. « probabilis » non commemorat hunc difficilem canonem; probabile in can. 2147 pro eo, quod probari potest, sumit vg. Beste, Introductio in Codicem, p. 858: « probabile, si argumentis solidis et positivis probari potest »; De Meester, Compendium, nova editio (1923) tom II. p. 326: « crimen, quod quamvis actu occultum, probari potest et ita fieri publicum »; auctor revocat in nota 7. ad decretum « Maxima cura » can. 1. 6°; S. Raia, de parochis p. 160: « probabile, cioè che si può scovrire e *provare* ». Sipos,

tiones: 1. can. 6. n. 4: « in dubio, num aliquod canonum praescriptum cum vetere iure discrepat, a veteri iure non est recedendum ». Decretum « Maxima cura » can. 1. n. 6 supponit crimen probabile i. e. quod probari potest. 2. regula iuris n. 15 in VI°: « odia restringi et favores convenit ampliari ». Sine dubio remotio parochi est factum sat odiosum et parochum suspicioni de sua vita morali exponit. 3. contextus; can. 2147 § 2. supponit causas *certas* pro remotione parochorum, sc. imperitiam aut permanentem infirmitatem; odium plebis; bonae existimationis amissionem, malam rerum temporalium administrationem; cui contextui optime accommodatur probabile in hoc sensu: quod probari potest; cf. S. C. C. in Taurin. 7 jul. 1855 (Fontes vol VI. n. 4143): « ubi Episcopo *certo certius* ex factis constat de parochi imperitia seu inhabilitate in rebus gerendis », in C. Acheruntina 31. mart. 1855 (l. c. n. 4141) = sacerdos *convictus* de criminibus. 4. suspensio ex informata conscientia postulat ex una parte delictum occultum (can. 2191 § 1), ex altera parte tales *probationes*, quae Episcopum *certum* reddant clericum delictum *revera* perpetrasse [40]. Maior tamen auctorum pars sumit in ca-

---

Enchiridion J. C. suam opinionem mutavit; in ed. III. p. 941. d: « sufficit ergo probabilitas criminis, utique seria »; in ed. IV. p. 952: « probabile crimen significat crimen, quod probari potest ». Fontes C. J. C. revocant ad can. 2147. cit. Decretum S. C. Cons. et quidem canonem primum. C. Piontek O. F. M. in tractatu: « de paterna ratione procedendi in remotione parochorum » (Ius Pontificium, vol. XV. 1935 p. 13-36) notat p. 15: « Paucis mutatis vel omissis decretum hoc assumptum est in Codicem iuris canonici inservitque ceu fundamentum hodiernae disciplinae in remotione parochorum ».

[36] S. C. de Prop. Fide, inst. 20. oct. 1884. (Fontes C. J. C. vol. VII. n. 4907) requisivit pro infligenda poena suspensionis ex informata conscientia (Trid. Sess. XIV. c. I. de ref.) crimen occultum (n. 6 sq.) et insuper tales probationes, ut cum *omni certitudine* culpabilitatis in inferenda punitione procedi possit (n.10); cf. Hinschius, System des katholischen Kirchenrechts, vol. V. p. 610 nota 3-5; p. 612 nota 9. Sanchez, l. c. nota 34 tractat quaestionem: « utrum matrimonium coram parocho et testibus initum, invalidum ob *occultum* impedimentum, sit ablato impedimento. iterum coram parocho et testibus celebrandum ». Sanchez n. 10 sq. pro danda responsione ponit quaestionem, utrum tale impedimentum occultum sit plene *pro-*

none 2147. probabile in hoc sensu: rationes graves suadent delictum a parocho commissum fuisse, quin tamen iuridica probatio obtenta fuerit. Paucos auctores allegasse sufficiet: A. Amanieu, in « Dictionnaire de Droit canonique » v. « Amotion » col. 475.; expresse notatur differentia inter ius antiquum et novum; nostro iure sufficit suspicio vehemens, non requiruntur probationes rigorosae; Augustin, A Commentary on the new Code of Canon Law, vol. vol. VII. ed. 2. p. 418; Conte a Coronata, Institutiones J. C. vol. III. ed. 2. n. 1583; Claeys Bouuaert-Simenon, Manuale Juris Canonici ed. 2. p. 703; etiam in hoc loco insinuatur differentia inter decretum « Maxima cura » et ius Codicis; Cappello, Summa J. C. vol. III. ed. 2. p. 367; Eichmann, Processrecht, p. 256; idem in Kirchenrecht ed. 4. vol. II. p. 321. Epitome J. C. vol. III. ed. 4. p. 165; Fanfani, de iure parochorum ed. 2. p. 165; Jone, Gesetzbuch, vol. III. p. 338; Noval, de processibus, P. II. et III. p. 484; Perathoner, das kirchliche Gesetzbuch p. 628; Piontek l. c. p. 26; Raus, Institutiones Canonicae ed. 2. p. 661 nota 1; Rossi, de Paroecia p. 265 notando: « Codicem strictiorem reddidisse disciplinam Decreti Maxima cura additione adiectivi probabile; non amplius requiritur ergo crimen certum, sufficit eiusdem existentiae iuridica habeatur probabilitas »; eandem differentiam insinuat Suarez, de Remotione parochorum p. 68. Vidal-Wernz, de processibus p. 711. loquitur de notitia innixa argumentis solide probabilibus.

Pro hac opinione sequentia elementa adduci poterunt: 1. ipse textus clare insinuat mentem can. 2147 § 2.

---

*babile* in foro externo; probabile in hoc sensu: plene probari potest in foro externo; « dicitur autem plene probabile in foro externo impedimentum ad dissolvendum matrimonium publice contractum, quando duobus testibus — omni exceptione maioribus — probari potest » (n. 11; n. 10). Elegitne can. 2147 formam breviorem — probabile — pro probationibus, quae moralem certitudinem de commisso delicto suppeditant? Cf. S. C. C. in Albien. 1. sept. 1883; 19. jan. 1884 (Fontes vol. VI. n. 4260); in Spalaten. 14. dec. 1895 (l. c. n. 4297): crimina non potuerunt probare.

n. 4.; mens autem haec est: avertendi a populo christiano offensionem in futuro non solum certam, sed etiam verisimilem seu probabilem. Qui finis non obtinebitur, utpote prophylacticus, nisi Episcopus procedat iam in gravi suspicione fundata gravis delicti commissi. Quem scopum prophylacticum insinuant praeter Epitome et Fanfani imprimis Suarez scribendo: « si parochus removeatur antequam delictum in aures fidelium deveniat, scandalum praecavetur, vel saltem scandalum cum amissione bonae existimationis parochi, ac proinde cum iactura ministerii eiusdem parochi. Ut ecce si parochus in carnis peccatum inciderit, atque de hoc habeat probationes seu gravia indicia Ordinarius, qui amotionem decernit: si postea delictum divulgabitur, damnum spirituale in paroecia non esset idem ac si parochus adhuc eandem rexerit ».

2. Auctores aliam rationem insinuant, sc. axioma: salus animarum suprema lex, quae praevalet bono temporali parochi, auferendi per amotionem. Sed « quia laesio boni supernaturalis (= salutis animarum) est tantum probabilis, non omnino certa, nam agitur de crimine probabili dumtaxat, et de scandalo fidelium futuro, idest, de periculo tantum scandali seu offensionis fidelium, ideo nostra sententia aequitas suasit et legislator praecepit, ut parochus quidem amoveatur, sed amotio non habeat rationem poenae ». Ita Noval l. c. p. 484 sq.; de salute animarum loquuntur etiam Cappello l. c. p. 365; Piontek l. c. p. 12; 14; 18; 22; eandem mentem insinuat S. C. Cons. in decreto « Maxima cura » (Fontes vol. V. p. 35). « Maxima cura semper Ecclesiae fuit, ut christiano populo praeessent et animarum saluti prospicerent selecti e sacerdotum numero viri, qui vitae integritate niterent et cum fructu suis muniis fungerentur ». Ut huiusmodi parochi cum tranquillo et alacri animo possint suum officium adimplere, ideo introducta perpetuitas obiectiva et subiectiva beneficii parochialis. « Nihilominus quia stabilitas haec in salutem est inducta fidelium, idcirco sapienti consilio cautum est, ut

eadem non sic urgeatur, ut in perniciem potius ipsorum cedat »[37].

3. Canon 2222 § 3, eandem interpretationem postulat: « legitimus Superior *licet probabile tantum sit* delictum fuisse commissum ... non solum ius, sed *etiam officium* habet ... ad scandalum evitandum ... eundem (=clericum) ab officio, ad normam iuris, amovendi, quae omnia in casu non habent rationem poenae »[38]. Qui canon quaestionem de sensu can. 2147 solvere mihi videtur; in hoc canone probabile delictum est illud, de quo iuridice non constat, sed de quo commisso graves militant rationes.

13. *Canon* 2222 § 2. Qui canon modo citatus vix pro interpretatione praebebit difficultatem.

Prudentibus et sapientibus relinquendum erit iudicium, utrum praecedens interpretatio vocis « probabilis » obtinuerit illud, de quo Coelestinus III. in cap. 15. X. V. 40 de verborum significatione: « non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem; cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire » aut illud Celsi in l. 1. D. I. 3: « scire leges, non est verba earum tenere, sed vim et potestatem », ne auctor huius conatus modestissimi sentiat opprobrium R. J. 88 in VI°: « certum est, quod is committit in legem, qui verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem ».

D. G. Oesterle O. S. B.

---

[37] cf. S. R. R. in Causa S. Josephi in America de 17. apr. 1913. / A. A. S. vol. VI, 1914 p. 14 ad IX; Decisiones S. R. R. vol. V., 1913, p. 249-261.

[38] Fontes ad hunc canonem citant etiam decr. « Maxima cura » can. 31 § 2: durante processu criminali sive civili sive ecclesiastico contra parochum accusatum de crimine, quod secum fert infamiam facti, potest idem prohiberi a cura animarum.

# DE FACULTATE AUDIENDI CONFESSIONES DURANTE ITINERE AËREO

Secundum can. 883 § 1 sacerdotes omnes maritimum iter arripientes possunt, toto itinere, quorumlibet fidelium secum navigantium confessiones in navi excipere, dummodo facultatem audiendi confessiones vel a proprio Ordinario (loci), vel ab Ordinario portus in quo navim conscendunt, vel etiam ab Ordinario cuiusvis portus interiecti, rite acceperint.

Saeculis praeterlapsis longum iter maritimum per se habebatur periculosum. Inde secundum auctores sacerdotes uti potuerunt iurisdictione, quam Ecclesia pro periculo mortis supplet [1]. Progressus continuus artis nauticae autem tale periculum magis magisque removebat. Dubiis ita exortis de facultate audiendi confessiones durante itinere maritimo decretum S. C. S. Off. 17.3.1869 [2] concedit talem facultatem, non tamen ea amplitudine sicuti nunc conceditur per can. 883, quae tamen sequentibus decretis praeparatur [3].

Haec facultas iuris vigentis communiter concipitur tamquam delegata a iure dependenter a certis condicionibus [4]. Aliam explicationem suo tempore tentavit P. Lehm-

---

[1] S. Alphons. de Lig., *Theol. Mor.* Lib. VI. Tract. IV. Cap. II. n. 561.

[2] C. Gasparri, *Codicis Iuris Canonici* Fontes IV. 1009.

[3] *S. C. S. Off.* 9. 4. 1900 Fontes IV. 1238; *S. C. S. Off.* 23. 8. 1905 Fontes IV. 1275; *S. C. S. Off.* 13. 12. 1906 Fontes IV. 1281.

[4] A. Blat O. P., *Commentarium Textus* C. I. C. Lib. III. Pars I. Romae 1924 n. 206; F. Cappello S. J., *Tractatus Canonico-Moralis de Sacramentis* Vol. II. Romae 1938 [3] n. 411; F. Claeys Bouuaert J. C. M. — G. Simenon, *Manuale Iuris Canonici* II. Gandae 1931 n. 130; H. Jone O. M. Cap., *Gesetzbuch des Kanonischen Rechtes* II. Paderborn 1940 112; E. Rösser, *Die gesetztiche Delegation*, Paderborn 1937, 180; A. Vermeersch S. J. — J. Creusen S. J., *Epitome Iuris Canonici* Tom. II. Mechliniae 1934 [5] n. 153; F. X. Wernz S. J. — P. Vidal S. J., *Ius Canonicum* Tom. IV. Vol. I. Romae 1934 n. 124.

kuhl [5], quam quidem uti meram opinionem profert. Considerat navim tamquam « partem cuiuslibet territorii, ex quo solvit, aut post brevem appulsum iterum solvit ». Absolutio igitur datur vi iurisdictionis receptae ab Ordinario loci portus, unde navis solvit, aut ab Ordinario loci portus intermedii, quia ipsa navis habetur ad instar « natantis parochiae ». Ita hodie res explicari non jam potest; immo etiam illo tempore haec explicatio non carebat difficultatibus. Hodie autem res ita concipi omnino nequit, quia ad audiendas confessiones durante toto itinere maritimo sufficit receptio iurisdictionis ab Ordinario p r o p r i o (loci), etsi hic est distinctus ab Ordinario portus ex quo navis solvit et distinctus ab Ordinario portus intermedii. Ergo non requiritur delegatio iurisdictionis ab Ordinario alicuius portus. Immo sacerdotes qui iurisdictionem rite acceperunt a proprio Ordinario vel ab Ordinario portus in quo navim conscendunt, possunt durante toto itinere maritimo in portibus interiectis « confessiones excipere tum fidelium qui quavis de causa ad navim accedant, tum eorum qui ipsis ad terram obiter appellentibus confiteri petant eosque valide ac licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis » (Can. 883 § 2). In hoc casu proinde absolvitur i n territorio alicuius Ordinarii, quin ulla ab eo concedatur iurisdictio. Vix igitur alia explicatio possibilis est, nisi ut admittatur iurisdictio delegata ab ipso iure communi.

Similis dispositio in favorem sacerdotum qui i t e r a ë r e u m arripiunt usque ad hunc diem non habetur in legislatione ecclesiastica. In ipso codice i. c. dispositio quae directe hunc casum respicit haberi non potest, quia tempore publicationis eius itinera aërea nondum fuerunt in usu. Tamen codex i. c. in can. 20 praebet principia quae applicanda sunt, si tempore decurrente novae relationes iuridicae oriuntur, quae ordinationem positivam exigunt. « Si certa de re desit expressum praescriptum legis sive

[5] *Theol. Moralis* Vol. II. Friburgi Brisgoviae 1898 [9] n. 386.

generalis sive particularis, norma sumenda est, nisi agatur de poenis applicandis, a legibus latis in similibus; a generalibus iuris principiis cum aequitate canonica servatis; a stylo et praxi Curiae Romanae; a communi constantique sententia doctorum ».

Haec media supplendi silentium legis legitime adhibentur tantum, si in legislatione canonica (et in iure consuetudinario) deest norma de se necessaria. Non autem dici potest necessariam esse dispositionem canonicam, quae concedat facultatem audiendi confessiones sacerdotibus iter aëreum arripientibus. Multi sacerdotes itinera per viam ferream instituunt, quin gaudeant facultate audiendi confessiones in ipso itinere. Hoc factum tempore publicationis codicis i. c. legislatori sine dubio notum fuit. Non obstante hac notitia potestas delegata a iure audiendi confessiones can. 883 restringitur ad sacerdotes qui iter maritimum arripiunt. Hinc dicendum videtur pariter non esse necessariam dispositionem qua concedatur facultas audiendi confessiones durante itinere aëreo, i. e. non esse per se necessariam pro tali itinere facultatem illam ab ipso iure delegatam.

Nihilominus videtur deficere relate ad iter aëreum norma de se necessaria. Non enim constat quomodo omnino possit acquiri facultas audiendi confessiones durante itinere aëreo. Itinera per viam ferream fiunt in territorio quod subiectum est iurisdictioni Ordinarii particularis ecclesiae: proinde ab hoc Ordinario peti potest facultas audiendi confessiones durante itinere per viam ferream. Quis autem est competens pro concessione facultatis audiendi confessiones durante itinere aëreo? Ad hanc quaestionem nulla dispositio iuris vigentis respondet. Proinde necessitas supplendi silentium legis in nostro casu immediate versatur circa decisionem, qualis sit auctoritas competens pro ipsa concessione facultatis audiendi confessiones durante itinere aëreo.

Verum quidem est etiam talem decisionem non esse ne-

cessariam, si Ecclesia extra periculum mortis absolutionem sacramentalem durante itinere aëreo permittere nolit. Tale assertum autem probari non potest ex facto, quod Ecclesia usque ad hunc diem non concessit per legem generalem facultatem audiendi confessiones durante itinere per viam ferream. Lex generalis concedens facultatem audiendi confessiones pro itinere per viam ferream disponeret de aliqua facultate quae per se certo spectat ad Ordinarium loci, in cuius territorio absolutio sacramentalis impertiatur. Proinde talis lex generalis abesse videtur, ne subtrahatur Ordinariis locorum talis dispositio. Gratis igitur assereretur Ecclesiam extra periculum mortis nolle permittere absolutionem sacramentalem durante itinere aëreo; immo hodierna praxis Ecclesiae confessionem et absolutionem sacramentalem quam maxime facilem reddere intendit. Neque obstat per se ipse locus profanus, quominus absolutio sacramentalis impertiatur. Etsi enim « sacramentalis confessionis proprius locus est ecclesia vel oratorium publicum aut semi-publicum » (can. 908), tamen « confessiones virorum etiam in aedibus privatis excipere licet » (can. 910 § 2.) Tandem casus esse potest, ut aliquis e sociis itineris aërei sacerdotis absolutionem sacramentalem instanter petat, supponamus ob magnum timorem subiectivum supervenientem, quamvis obiective nullum adsit periculum mortis.

Illa quae modo exposita sunt, breviter colligi possunt hac ratione quae videtur esse decisiva pro necessitate alicuius normae suppletoriae: Certum est Ecclesiam per se nullibi prohibere confessionem et absolutionem sacramentalem. Jamvero negatio necessitatis normae suppletoriae aequivalet asserto Ecclesiam in aëre per se prohibere confessionem et absolutionem sacramentalem. Nam, si absolutio impertienda est in terra, sec. can. 874 § 1 Ordinarius respectivi loci est competens pro concessione facultatis delegatae audiendi confessiones; si in mari, sec. can. 883 § 1 facultas illa delegatur a iure; si in aëre, non habetur lex, quae directe disponit de modo obtinendi hanc facultatem.

Proinde recurrendum est ad normam suppletoriam. Si enim neque norma suppletoria haberetur, deberemus dicere Ecclesiam extra periculum mortis absolute prohibere confessionem et absolutionem sacramentalem in aëre. Tale assertum non probatur.

Necessitas igitur normae suppletoriae quae decidat, quomodo omnino pro itinere aëreo facultas audiendi confessiones haberi possit, negari non posse videtur; eo minus, quo « saepius si agitur de facultate exercenda aut de iuribus mutuis ordinandis, supplendum erit silentio legis »[6]. Quaeri igitur potest an, supposita hac necessitate, can. 883 ad itinera aërea applicari possit.

Iurisdictio pro audiendis confessionibus praesumi nequit (can. 879 § 1). Sed attendendum est in can. 883 agi de delegatione facultatis audiendi confessiones per ipsam l e g e m . Can. 20 nunc pro suppletione silentii legis primo loco remittit ad leges latas in similibus, ad analogiam legis. Si igitur possumus demonstrare analogiam legis in nostro casu legitime adhiberi, non habetur casus iurisdictionis praesumptae, sed potius concessae per legem, i. e. per can. 883, qui vi can. 20 legitime applicatur ad itinera aërea.

Analogia legis iure adhibetur, si habetur similitudo casus et paritas rationis. « Determinanda est paritas secundum rationem iuris, seu secundum principium iuridicum implicite in lege contentum »[7]. Proinde applicatio analogiae legis requirit ut structura iuridica in utroque casu sit fere eadem. « Non requiritur identitas rationis omnimoda, intrinseca et adaequata, qualis verificatur in correlativis, aequiparatis, connexis et contentis ..... sufficit vero quaecumque rationis identitas, etiam partialis, dummodo rea-

---

[6] A. Van Hove, *De Legibus Ecclesiasticis*, Mechliniae 1930, 320.

[7] Van Hove o. c. 326 s. - Ita communiter auctores: cf. e. g. Wernz-Vidal o. c. Tom. I. Romae 1938 n. 181; B. Ojetti S. J., *Commentarium in Codicem Iuris Canonici*, Lib. I. Romae 1927 152.

lis; immo sufficit vera rationis paritas seu, propter fundamentalem similitudinem, aequiparatio »[8].

Talis identitas sufficiens seu vera et propria similitudo structurae iuridicae facultatis audiendi confessiones durante itinere aëreo cum hac facultate pro itinere maritimo videtur esse admittenda.

Si agitur de itinere aëreo *transmarino* habetur similitudo quam proxima cum itinere maritimo. Transvolatur ipsum mare; habentur « navigantes », habetur « portus in quo navim conscendunt », possunt haberi « portus interiecti ». Tale iter aëreum transmarinum fit per spatium locale quod — sicut ipsum mare — certo non est subiectum ulli iurisdictioni Ordinarii particularis territorii ecclesiae; ad summum in portibus intermediis navigantes forte « ad terram obiter appellunt », et ita per breve tempus versantur in aliqua dioecesi vel in alio territorio particulari ecclesiae.

Si agitur de itinere aëreo in continente aut in magna insula, habetur etiam vera et propria similitudo cum itinere maritimo. Etiam in hoc casu habetur « navis », in qua iter aëreum fit, quod iter incipit in « portu » in quo « navigantes navim conscendunt » et finem habet in altero portu. Saepe non desunt « portus interiecti », in quibus navigantes forte « ad terram obiter appellunt ». Potestne etiam dici spatium locale, per quod iter aëreum in hoc casu fit, non esse subiectum iurisdictioni Ordinarii particularis territorii ecclesiae, sicut dici debet de alto mari?

Secundum can. 873 § 1 Ordinarius loci habet iurisdictionem ordinariam ad confessiones excipiendas « pro suo territorio ». Jamvero in aestimatione communi spatium aëreum — saltem ultra illam altitudinem quam aedificia in respectivo solo exstructa habent — non habetur coniunctum cum solo, ita ut spatium aëreum esset pars

---

[8] G. Michiels O. M. Cap., *Normae Generales Iuris Canonici* Vol. I. Lublin 1929 466.

« territorii ». Proinde quoad facultatem audiendi confessiones spatium aëreum est eiusdem condicionis ac altum mare, seu non est subiectum iurisdictioni Ordinarii particularis territorii ecclesiae.

Assertum hoc illustrari potest per facultatem assistendi valide matrimoniis, quae competit parocho et Ordinario loci « intra fines dumtaxat sui territorii » (can. 1095 § 1, 2). Supponamus duos nupturientes inire velle matrimonium — quacumque de causa — durante navigatione aërea. Quis auderet affirmare tale matrimonium, cui parochus assistat transvolando proprium territorium, ratione formae certo non esse invalidum?

Itaque structura iuridica facultatis audiendi confessiones fere eadem est in itinere aëreo ac in itinere maritimo. Proinde applicatio analogiae legis in hoc casu videtur esse legitima. Posset quidem obici analogiam eo deficere, quod itinera aërea saepe non habent illam durationem temporalem quam habent communiter itinera maritima. Ad perficiendum iter aëreum multo minus temporis requiritur quam si eadem distantia absolvenda est in mari. Hoc omnino admittendum est. Altera ex parte in can. 883 non habetur ulla determinatio temporis requisiti, ut quis facultate ibi concessa valide et licite uti possit. Ubicumque verificatur casus itineris maritimi, etsi ad tempus breve, facultas audiendi confessiones habetur. Hinc applicatio analogiae ab elemento temporali independens est.

De cetero applicatio can. 883 ad itinera aërea vix potest cedere in praeiudicium potestatis Ordinariorum locorum[9]. Absolutio sacramentalis est actus iurisdictionis fori interni. Vix dici potest exercitium talis actus

[9] Fortiore ratione forte tale praeiudicium timeri posset — uti diximus supra — pro itinere per viam ferream. Nostra argumenta — uti planum est — non possunt applicari tali itineri. Cf. tamen ea quae dicit Cappello o. c. n. 413: « Quoad iter aëreum ..... ex analogia videtur probabiliter applicandum praescriptum can. 883. Idem dicendum de itinere terrestri per viam ferream valde diuturno. Optandum ut authentica de utroque casu detur responsio ».

in itinere aëreo momento quo navis transvolat territorium alicuius Ordinarii loci creare ullum praeiudicium potestati huius Ordinarii. Proinde concessio facultatis audiendi confessiones durante itinere aëreo per ipsam legem communem non cedit in detrimentum potestatis Ordinarii particularis territorii ecclesiae. Itaque etiam in suppositione spatium aëreum subiectum esse iurisdictioni Ordinarii respectivi territorii (quae suppositio-uti diximus-non probatur) iura huius Ordinarii non obstant quominus ius commune concedat talem facultatem [10].

Praeterea itinera aërea tali fiunt celeritate, ut navigantes in spatio aëreo supra varia territoria particularia Ecclesiae « obiter » tantum consistant. Jamvero sacerdotes iter maritimum arripientes possunt confessiones excipere « eorum qui ipsis ad terram obiter appellentibus confiteri petant eosque valide ac licite absolvere etiam a casibus Ordinarii loci reservatis ».

Ultro tamen admittimus argumentationem nostram non esse ita peremptoriam, ut contra eam nulla jam moveri posset difficultas. Proinde non affirmamus certissimum esse ipsum legislatorem extensurum esse dispositionem can. 883 ad itinera aërea, si tempore futuro dispositio positiva detur, quae ordinat facultatem audiendi confessiones durante itinere aëreo. Non potest quidem simpliciter dici,

---

[10] Etiam in *iure internationali* non admittitur universaliter spatium aëreum subiectum esse potestati Status respectivi territorii. Hodie quidem theoria, quae potestatem Status extendit ad spatium aëreum supra territorium, est praevalens, quia est officialiter admissa ab omnibus fere Statibus; a. v. tale ius Status innititur tractatibus internationalibus. Non autem desunt auctores, qui — non vigente tali conventione iuris p o s i t i v i — aërem considerant tamquam rem communem, qui ideoque ad nullum Statum exclusive pertinet. Pro nostra quaestione haec nullius sunt momenti, quia ius internationale non afficit negotia iuridica Ecclesiae interna, i. e. illa quae effectus extra Ecclesiam non habent. Praeterea ipse finis conventionum internationalium in hac quaestione non afficit Ecclesiam. Tales conventiones enim fiunt, ut ita magis provideatur securitati proprii territorii, quae per libertatem transvolandi territorium in periculum adduci putatur; a. v. decisivae sunt rationes praesertim militares, quae pro exercitio iurisdictionis spiritualis non exsistunt.

quod analogia legis « non fundatur in voluntate legislatoris, ne interpretativa quidem: nescimus enim quomodo legislator silentio legis suppleret » [11]; ipse legislator enim can. 20 declarat analogiam legis esse medium ordinarium quo supplendum sit silentium legis; itaque norma ex applicatione analogiae legis resultans fundatur indirecte in eius voluntate [12]. Non obstante autem tali relatione normae inventae per applicationem analogiae legis ad voluntatem legislatoris concedendum est nos ignorare, quomodo legislator ipse suppleret silentium legis [13]. Ita etiam in nostro

---

[11] Hoc affirmat Van Hove o. c. 326.

[12] Ita etiam Michiels o. c. 461.

[13] De cetero talis extensio can. 883 ad alios casus de se non esset res nova. Sancta Sedes jam pro ipso *itinere terrestri et fluviali*, si sit nimis longum, facultatem audiendi confessiones interdum concessit simili modo ac pro itinere maritimo.

Cf. *Decretum* S. C. de Prop. Fide 4. 2. 1907 Fontes VII. 4941: « Sanctitas Sua benigne decernere ac declarare dignata est, omnes cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis atque etiam e clero saeculari missionarios seu presbyteros ad Sinenses Missiones destinatos, qui duo vel numero plures consociati, ad littora Sinensia appellunt, durante toto itinere terrestri aut fluviali usque dum pervenerint ad Missionem sibi respective adsignatam, dummodo ad sacramentales confessiones fuerint legitime approbati ..... posse inter se confiteri, eosque item posse confessiones audire clericorum non sacerdotum et Fratrum laicorum cum ipsis iter agentium, et etiam Religiosarum Sororum, si forte contingat aliquas in eodem comitatu esse ad Missiones destinatas, immo quoque vehicula aut cymbas ducentium, vel sarcinas per iter ferentium, vel alia quacumque ratione eorum itineris sociorum ... » — Praeterea *Decretum* S. C. S. Off. 31. 8. 1909 pro Archiepiscopis et Episcopis Reipublicae Columbianae (Conferencias Episcopales de Colombia. Desde 1908 hasta 1930. Imprenta del C. de Jesús-Bogotá. Pag. 177): « Archiepiscopi et Episcopi Reipublicae Columbianae ad pedes S. V. provoluti eamdem S. V. humiliter rogant ut cum hanc Rempublicam ingentia et spatiosa flumina decurrant quae ab Ordinariorum longe distant Sedibus, et ad quorum ripas quamplurimi degunt fideles Ecclesiae auxiliis saepe destituti, fas sit sacerdotibus approbatis, per eorum aquas vel oras facientibus iter, poenitentiae sacramentum, juxta normas definitas decretis S. R. et U. Inquisitionis feria IV die 23 augusti 1905 et feria IV die 12 decembris 1906 editis, fidelibus ministrare ». (Cf. quoad haec decreta supra notam 3. Hodie hae normae habentur in can. 883).

« SSmus. D. N. Pius Divina Providentia PP. X, ..... benigne annuit pro gratia juxta preces ».

Tandem *Responsum* 20. 5. 1923 Pont. Commissionis ad Codicis Canones authentice interpretandos sacerdotem, qui durante

casu argumenta pro extensione dispositionis can. 883 ad itinera aërea authenticam declarationem et confirmationem non tantum non reddunt superfluam, quinimmo eam exigant et requirant. Applicatio analogiae ab homine privato facta legitima est, sed privata manet [14].

Etsi igitur contra applicationem can. 883 ad itinera aërea dubia theoretica forte moveri adhuc possunt, censemus tamen talem applicationem temerariam dici non posse, quia innititur rationibus seriis iuridicis, quae pro praxi privata sufficiunt. Saltem vere probabiliter enim sacerdotes iter aëreum arripientes eadem iurisdictione gaudent ac sacerdotes iter maritimum arripientes. Quia autem « in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno » (can. 209), et quia usus iurisdictionis suppletae in tali dubio semper est licitus, etiam in nostro casu absolutio est valida et licita.

Itaque — quamdiu ab auctoritate competenti declaratio contraria non emanat — sacerdotes iter aëreum arripientes quoad facultatem audiendi confessiones procedere posse videntur eodem modo ac sacerdotes iter maritimum arripientes, saltem — abstrahendo a quaestione, num talis facultas se extendat ad portus intermedios — in ipso itinere aëreo.

W. Bertrams, S. I.

---

itinere maritimo ultra triduum in aliquo portu interiecto confessiones excipere velit eorum, qui confiteri petant, tunc tantum obligat ad petendam iurisdictionem ab Ordinario loci, si hic « facile adiri possit ». (Acta Apostolicae Sedis XVI. 1924, 114).

[14] Van Hove o. c. 323; Michiels o. c. 459.

# DE MISSAE CELEBRATIONE IN ITINERE MARITIMO

I. *Quaesitum.* Timotheus, sacerdos iter maritimum suscipit in navi bellica, quam optime scit instructam esse pulchro sacello cum altari fixo, in quo sub custodia diligentis capellani, Sanctissimum quoque Sacramentum custoditur.

Quare nihil cogitat de facultate obtinenda ad missam in mari celebrandam. Socium invenit itineris Severum, qui indulto apostolico munitus, sustinet Timotheo minime licere sacrum peragere, sed Communione Eucharistica contentum esse debere.

Quaeritur quisnam recte sentiat, cum agatur de casu qui in navibus modernis tum bellicis tum civilibus frequenter occurrit.

II. *Praenotanda.* Responsum ut demus sufficiat pauca adnotare.

Doctrina communis Auctorum est ad celebrandum in mari requiri speciale indultum apostolicum, quod in indulto altaris portatilis non continetur. Can. 822 § 3[1].

Hoc privilegio gaudent PP. Cardinales et Episcopi ex iure (can. 239 § 2, 8° et 349 § 1, 3°).

Conceditur habitualiter missionariis, ut ex Fac. S. C. de P. F. constat[2]. Cappellanis militaribus item immani bello perdurante, datur facultas celebrandi in navi, « loco honesto atque decenti »[3]. In utroque autem casu facultas communicatur per Ordinarios vel superiores maiores.

---

[1] Cfr. *Verm.-Creusen,* Epitome Iuris canonici, vol. II (ed. 6ª, 1940) n. 101. *M. C. a Coronata,* De locis et temporibus sacris, n. 77.

[2] Cfr. *Vromant,* Facultates Apostolicae, 1926, n. 8.

[3] Cfr. *S. C. Cons.* Index facultatum, 8 dec. 1939 (A. A. S. XXXI, 710, Perd. XXIX, 1940, 125.

Et re quidem vera, in hypothesi quae consideratur haec plana sunt, et consona iurisprudentiae S. S.[4].

Supponitur missa celebranda, extra locum sacrum, in altari portatili, cum quodam periculo, ex motu maris, effusionis sanctissimi Sanguinis.

2. Nostris tamen temporibus naves non paucae sunt, quae, magna stabilitate praeditae, maris motibus parum agitantur, in quibus sacellum, optime paratum stabiliter est aedificatum, ad sacras functiones peragendas, et non raro ad Sanctissimum Sacramentum diu noctuque conservandum. Haec sacella erecta sunt in utilitatem navigantium, auctoritate Sedis Apostolicae, vel episcopi portus ad quem navis pertinet, et altari fixo praedita sunt.

3. De iis oratoriis merito dubitatur utrum valeant normae datae pro celebratione in mari. Imo ut nobis certo videtur, non valent, propter evidentem disparitatem adiunctorum.

Oratoria eiusmodi, nisi essent in navi ad navigandum destinata, ab omnibus haberentur ut oratoria saltem semipublica, in quibus licet omnes sacras functiones peragere, et omnibus sacerdotibus missam celebrare, ad normam canonum 822, 804, 1193.

Codex tamen de iis silet; non considerat nisi oratoria terrestria, ut ex contextu patet. Vide canones 1156, 1188, 1192.

4. Quid dicendum de istis oratoriis? Nobis videtur locum esse canoni 20, quatenus statuit: « Si certa de re desit expressum praescriptum legis ... norma sumenda est a legibus latis in similibus ».

Cum vero haec navium oratoria in omnibus congruant cum oratoriis semi-publicis, normas pro celebratione in eis quaerendas esse putamus in normis pro celebratione

---

[4] Vide antiquiores concessiones factas a Clemente VIII et Paulo V, in favorem navigantium in navibus lusitanis versus Indiam, in S. Alph. n. 356, ubi notanda est discrepantia auctorum et tendentia ad permittendam celebrationem ubi periculum sanguinis effundendi aberat.

in oratoriis terrestribus. Unde sequitur: omnibus sacerdotibus iter facientibus per maria in eiusmodi navibus, integrum esse, in iis sacellis, missam, servatis servandis, celebrare.

Haec est caeteroquin praxis quam vidimus observatam in optimis navibus transoceanicis, pulchris oratoriis pro navigantibus ornatis.

Si de oratoriis agatur magis angustis, quae tantum altare fixum capere possunt, at aulam publicam prospiciunt, ex qua fideles Missae sacrificio interesse valent, difficultas est maior. Tamen normam sumendo ex similibus, videtur, quod, sicut angustia loci in oratoriis terrestribus non impedit quominus ut semi-publica ea considerentur, sic dicendum est de maritimis. Si ergo de consensu competentis Ordinarii erecta sint, licitum etiam erit in ipsis, absque privilegio apostolico, sacrum celebrare. Ratio enim eadem est.

Ita in praxi fieri, etiam experti sumus.

Manet ergo quod ad celebrandum in navi tunc tantum requiritur indultum apostolicum, quando celebrandum est, extra locum benedictum, in altari portatili.

III. *Responsum.* Recte iudicavit Timotheus, severius et nimis litterae adhaerendo, Severus. Indultum enim apostolicum, ut nobis videtur, tunc tantum necessarium est quando celebrandum est in navi destituta oratorio cum altari fixo, seu in altari portatili extra locum sacrum.

U. Lopez, S. I.

# NOVUM FORMULARIUM LIT. PRO F. SS. CORDIS IESU IN IDIOMATE SLAVICO

In ultimis quadraginta annis pro festo Ss. Cordis Iesu in ritu byzantino redactionis ruthenae duo formularia in idiomate slavico[1] a S. Sede approbata sunt. Primum ex his duobus formulariis (seu typis vel formis) concessum fuit anno 1903[2]. Alius typus, de quo breviter in hac dissertatione, prodiit anno 1944-45 et destinatur aeque ac formularium primum pro ritu byzantino redactionis ruthenae[3].

Formularium anno 1944-45 editum et formularium usque huc apud Ruthenos vigens multis in punctis conveniunt, in aliis tamen discrepant.

---

[1] Praeter haec formularia a S. Sede in eadem periodo approbata sunt alia duo eiusdem idiomatis slavici: unum pro ritu byzantino redactionis russicae, approbatum a *Pont. Commissione pro Russia,* die 29 Octobris 1932 Nr 200/33 Affari Generali, ad mentem « Motu proprio »: *Cura animarum,* AAS. 24 (1932) pg. 353-354; cf. *Gregorianum* 23 (1942) pg. 255-265. — alterum pro ritu latino, id est, missa latina: « *Miserebitur* » in idiomate slavico versa, vide *Missale Romanum, slavonico idiomate ex decreto sacrosancti Concilii Tridentini restitutum, S. Pii V Pontificis Maximi jussu editum, a P. Pio X reformatum et Ssmi D. N. Pii XI auctoritate vulgatum.* Romae, Typis polyglottis Vaticanis, 1927, pg. 498-499: « *Pomilujet* ».

[2] Litterae *S. Congreg. Prop. Fide pro Negotiis rituum orientalium,* in data 13 februarii 1903, Nr. 15632; formularia in libris liturgicis ruthenis edita quoad textum, non vero quoad indolem et conceptionem a forma, Romae 1903 approbata, recedunt.

[3] Inscriptio illius formularii seu titulus officii: *Festum Dulcissimi Domini et Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, Amatoris hominum* », insertum invenitur jam in libro « Liturgicon », cum approbatione S. Sedis Romae edito 1943, pg. 649; Evangelia in hoc festo legenda continentur in libro: *Evangelija na nedeli, prazdniki i razlićnyja potreby* (Evangelia pro dominicis, festis et pro diversis necessitatibus), cum approbatione S. Sedis Romae edito 1943,pg. 31-33; ceterae partes pro sacrificio eucharistico quaerendae sunt in libro: *Ctenija Apostol'skija na nedeli, prazdniki i razlicnyja potreby* (Lectiones Epistularum pro dominicis, festis et variis necessitatibus) cum approbatione S. Sedis edito 1944/45, pg. 52-55.

In utroque eosdem legimus versiculos S. Scripturae ante Epistulam, eandem Epistulam S. Pauli ad Hebr. 2, 11-18, eosdem versiculos ante lectionem Evangelii, idem Evangelium S. Joh. 3, 13-17, eosdem versiculos Communis; differunt tamen in antiphonis, in formula finali dimissionis fidelium, praesertim vero in duobus hymnis: Troparion et Kondakion, in quibus generatim indoles festi manifestatur.

Troparion novi formularii:

Miserere nostri, Domine, miserere nostri; peccatores, sublata omni excusatione, supplices Te precamur, Domine: miserere nostri.

Kontakion:

Dux caelestis et Dominus, triumphator inferni, a Te creatus et redemptus a morte aeterna, offero Tibi hymnos laudis, ego servus Tuus; Tua ineffabili misericordia salva me ab omnibus malis, ad Te clamantem: Iesu, Fili Dei, miserere mei.

In novo formulario colitur Amor Christi Dei-Hominis, praesertim eius benignitas et misericordia, quae iam in epistulis S. Pauli laudatur, in homiliis sanctorum Patrum orientalium extollitur et iterum in Oriente byzantino saeculis XI-XIII novo fervore celebratur[4].

Principiis liturgicis praehabitis in nova forma abstrahitur a revelationibus S. Margarithae Mariae Alacoque impertitis et a rationibus huius cultus in Encyclica: « *Miserentissimus Redemptor* »[5] expositis. Praeterea in antiphonis, in praefatis hymnis: Troparion et Kondakion, in formula finali dimissionis fidelium aeque ac in ipso titulo huius officii expressio « Cordis Iesu » deest. Nihilominus novo formulario cultum Ss. Cordis Iesu in ritu byzantino

[4] Cf *Gregorianum* 22 (1941) pg. 497-502; 23 (1942) pg. 259-262.

[5] AAS. 20 (1928) pp. 165-178.

promoveri dicendum est, quatenus prima vice in libris liturgicis a S. Sede pro orientalibus approbatis, Amor Christi Dei-Hominis feria VI tertiae hebdomadis post Pentecosten speciali festo colitur.

An non sit praevidendum desiderium fidelium, ut cursu temporis rationes in revelationibus S. Margarithae Mariae Alacoque et in Encyclica: « *Miserentissimus Redemptor* » contentae etiam in typo liturgico recipiantur, respondendum videtur alia quaestione, sc. an in territoriis orientalibus slavicis, iam a saeculis cum Ecclesia catholica unitis, Apostolatus Orationis floreat et an in territoriis convertendis hic Apostolatus rite diffundatur.

Cum nunc in exercitiis huius Apostolatus Orationis simul cum cultu Ss. Cordis Iesu intime coniungatur pietas erga Immaculatum Cor Mariae, cui Romanus Pontifex totum genus humanum, praesertim Orientem slavicum consecraverit, licet meminisse adagium: per Mariam ad Iesum, per cultum Immaculati Cordis Mariae ad cultum Ss. Cordis Iesu.

I. M. Schweigl, S. I.

# MONUMENTA

## 1 - SS. D. N. Pius Pp. XII
## Litterae Encyclicae

*AAS* XXXVI [20 maii 1944] p. 129).

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DE S. CYRILLO PATRIARCHA ALEXANDRINO, SAECULO EXEUNTE QUINTO DECIMO A PIISSIMO EIUS OBITU.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Orientalis Ecclesiae decus ac Deiparae Virginis vindicem praeclarissimum, S. Cyrillum Patriarcham Alexandrinum summis semper laudibus extulit Ecclesia; quas laudes in praesens Nobis libet presse scribendo recolere, dum quintum ac decimum exit saeculum, postquam ille terrestre hoc exsilium caelesti patria feliciter mutavit. Eum enim iam Decessor Noster S. Caelestinus I « bonum fidei catholicae defensorem » [1], « probatissimum sacerdotem » [2], ac « virum apostolicum » [3] appellat; oecumenica vero Synodus Chalcedonensis non modo eius doctrinam ad novos dispiciendos refellendosque errores in auxilium advocat, sed eam etiam cum S. Leonis Magni [4] sapientia comparare

[1] Ep. 12, 4: MIGNE, *P. L.*, L, 467.
[2] Ep. 13, 2: ib. 471.
[3] Ep. 25, 7: ib., 552.
[4] Cf. MANSI, VI, 953, 956-7; VII, 9.

non dubitat; qui quidem et ipsemet tanti Doctoris scripta idcirco dilaudat atque commendat, quod cum SS. Patrum fide omnino cohaereant [5]. Nec minore veneratione S. Cyrilli auctoritatem quinta oecumenica Synodus, Constantinopoli congregata [6], prosecuta est; ac multis post annis, cum controversia haberetur de duabus in Christo voluntatibus, iterum eius sententia tam in prima Synodo Lateranensi [7], quam in sexto oecumenico Concilio, a Monothelitarum erroribus, quibus nonnulli eam infectam esse falso criminabantur, merito feliciterque vindicata est. Teste siquidem sanctissimo Decessore Nostro Agathone, ipse « defensor fuit veritatis » [8] et « constantissimus orthodoxae fidei praedicator » [9] exstitit.

Valde igitur opportunum ducimus integerrimam eius vitam, fidem, virtutemque, breviter scribendo, ante omnium oculos ponere, in primisque eorum, qui, cum ex Orientali Ecclesia sint, hoc christianae sapientiae lumine et apostolicae fortitudinis athleta iure meritoque gloriantur. Honesto loco natus, atque anno CCCCXII, ut memoriae traditur, ad Alexandrinam sedem evectus, contra Novatianos primum aliosque germanae fidei corruptores osoresque, tum eloquio, tum scriptis decretisque editis, vigilaci impavidoque animo decertavit. Postea vero, cum impia Nestorii haeresis per orientales regiones serperet, pervigil ut erat Pastor, novos grassantes errores protenus detexit, a commisso sibi grege omni studio prohibuit, fuitque per eam tempestatem, ac potissimum in Ephesina Synodo celebranda, divinae maternitatis Mariae Virginis, hypostaticae unitatis in Christo, ac Romani Pontificis Primatus adsertor invictus ac doctor sapientissimus. At quandoquidem proximus Decessor Noster fel. rec. Pius XI, cum oecumenici huius Concilii memoria quindeciens saecularis anno

---

[5] Cf. *Ep. ad Imp. Theodosium*: MIGNE, *P. L.*, LIV, 891.
[6] Cf. MANSI, IX, 231 sq.
[7] Cf. MANSI, X, 1076 sq.
[8] Cf. MANSI, XI, 270 sq.
[9] Cf. ib., 262 sq.

MDCCCCXXXI celebraretur, Encyclicis datis Litteris *Lux veritatis* [10], praecipuas S. Cyrilli partes in gravissima hac causa agenda praeclare descripsit illustravitque, id iterum singillatim recensere supervacaneum putamus.

Haud satis autem Cyrillo fuit strenue adversus erumpentes haereses dimicare, catholicae doctrinae integritatem acriter diligenterque tueri, eamque omni studio in meridiana sua luce ponere, sed pro viribus etiam atque etiam contendit, ut aberrantes fratres ad rectum iter veritatemque revocaret. Cum enim Antiochenae provinciae Episcopi sacrae Ephesinae Synodi auctoritatem nondum agnoscerent, alacer ipse auctor fuit, ut iidem post diuturnas periclitationes ad plenam concordiam tandem aliquando se reciperent. Ac postquam felicissimam eiusmodi pacem conciliare, Deo aspirante, potuit, eamque adversus simulatores defendere seduloque tutare, sempiternae mercedi gloriaeque maturus, anno CCCCXXXXIV, deflentibus bonis omnibus ad superos evolavit.

Eum orientalis ritus christifideles non modo in « Patrum Oecumenicorum » numero collocant, sed in suis etiam liturgicis precibus praeconiis amplissimis venerantur. « Flammis Sancti Spiritus mente illustratus — ita Graeci in Menaeis die IX mensis Iunii habendis canunt — sol irradians velut radios oracula edidisti; tua dogmata in omnes orbis fideliumque fines emisisti, coetus omnes illuminans, o beatissime ac divine, tenebrasque haereseon persequens, vi viribusque illius, qui e Virgine natus eluxit ». Ac iure quidem meritoque sanctissimo hoc Patre Orientalis Ecclesiae filii veluti domestica insignique gloria laetantur. In eo enim tres illae peculiarissimo modo elucent animi dotes, quae ceteros quoque Orientis Patres tantopere illustrarunt: eximia nempe vitae sanctitas, in qua incensa nominatim renidet erga summam Dei Parentem pietas; doctrina prorsus mirabilis, ob quam eum Supremum Consilium sacris ritibus praepositum, per decre-

[10] *A. A. S.*, XXIII (1931), p. 493 sq.

tum die XXVIII mensis Iulii, anno MDCCCLXXXII datum, universalis Ecclesiae Doctorem renuntiavit; actuosa denique studiosaque cura, qua haereticorum impetus invicto pectore retudit, catholicam fidem adseruit, defendit, atque impense, usque quaque potuit, propagavit.

At si valde gratulamur christianos omnes ex orientalibus regionibus populos S. Cyrillum impensa veneratione prosequi haud minus tamen dolemus in eam non omnes convenisse optatissimam unitatem, quam ipse tam vehementer adamavit atque provexit; idque praesertim nostris hisce temporibus contingere lamentamur, quibus omnes christifideles, collatis mentibus ac viribus, in unam Iesu Christi Ecclesiam congregari necesse est, ut contra invalescentes cotidie magis impietatis conatus communis acies conferta, concors, immota repugnet.

Quae quidem ut effecta dentur, prorsus necessarium est ut omnes, S. Cyrilli vestigia prementes, eam assequantur animorum concordiam, quae triplici ea ratione vinciatur oportet, qua Christus Iesus, Ecclesiae conditor, veluti superno infragilique vinculo, ab se constituto, illam adstringi continerique voluit; una nempe catholica fide, una erga Deum, erga omnes caritate, una denique obedientia obtemperationeque legitimae hierarchiae, a divino ipso Redemptore datae. Tria eiusmodi vincula, quod probe nostis, Venerabiles Fratres, ita sunt necessaria, ut si quodlibet ex eis desit, vera in Ecclesia Christi unitas atque concordia ne intellegi quidem possit.

## I

Iamvero Alexandrinus Patriarcha in hac veri nominis concordia studiose adipiscenda retinendaque fortiter, quemadmodum iam fuit per procellosam aetatem suam, ita in praesenti sit tempore optamus magister omnibus atque exemplum praeclarissimum. Ac principio, ut de christianae fidei unitate agamus, nemo est, ui inconcussam eius

alacritatem ignoret ad eamdem mordicus tutandam: « Nos — ita ille asseverat —, quibus amica est veritas, ac veritatis dogmata, nequaquam illos (haereticos) sequemur, sed Sanctorum Patrum fidei vestigiis insistentes, divinae revelationis depositum contra omnes errores custodiemus » [11]. Quod certamen ad mortem usque certando, ad acerbissima quaeque tolerando paratus erat. « Mihi — ita scribit — pro fide, quae in Christo est, et laborare et vivere et mori maximum votum est » [12]. « Me igitur nulla neque iniuria, neque contumelia, neque convicia movent ... Tantum fides integra et salva sit » [13]. Ac martyrii palmas forti nobilique animo exoptans, haec edit generosissima verba: « Statui propter Christi fidem quemvis laborem subire, quaevis quoque perferre tormenta, etiam ea, quae inter supplicia censentur gravissima, donec tandem mortem hac de causa susceptam mihi iucundam pertulero » [14]. « Nam si pro gloria Dei veritatem praedicare formidaverimus, ne videlicet in aliquam molestiam incidamus, qua quaeso, fronte sanctorum martyrum certamina et triumphos apud populum laudibus evehemus? » [15].

Cum autem in Aegypti coenobiis plures haberentur atque acerrimae de nova haeresi Nestoriana disputationes, ut vigilantissimus est Pastor, de huius doctrinae fallaciis atque periculis monachos admonet, non ut lites verborumque concertationes inflammet, « verum ut si qui de cetero — ita iisdem scribit — vos adorti fuerint, illorum futilitati veritatem opponentes, et ipsi erroris perniciem effugiatis, et alios opportunis rationibus perinde ut fratres inducatis, quo fidem iam olim Ecclesiis per sanctos Apostolos traditam, non secus ac margaritam, animis suis insertam, constanter retineant » [16]. Ac luculentissime ani-

---

[11] Cf. in Ioann., l. X; Migne, *P. G.*, LXXIV, 419.
[12] Ep. 10: Migne, *P. G.*, LXXVII, 78.
[13] Ep. 9: ib., 62.
[14] Ep. 10: ib., 70.
[15] Ep. 9: ib., 63.
[16] Ep. 1: ib., 14.

madvertit — ut omnes facile agnoscent, qui epistulas perlegerint, quas ipse de Antiochenorum causa dedit — christianam eiusmodi fidem, quae totis viribus nobis servanda tuendaque est, per Sacras Litteras ac per sanctorum Patrum [17] doctrinam nobis esse traditam, itemque per vividum ac falli nescium Ecclesiae magisterium clare legitimeque propositam. Cum enim Antiochenae Provinciae Episcopi ad instaurandam servandamque pacem sufficere autumarent Nicaenam tantummodo retinere fidem, S. Cyrillus, Nicaenum Symbolum firmiter et ipse amplexus, a suis in Episcopatu Fratribus Nestorianae etiam haeresis improbationem damnationemque ad unitatem constabiliendam requisivit. Optime siquidem noverat non satis esse vetera ecclesiastici magisterii documenta mente prona accipere, sed illa etiam omnia oportere demisso fidelique animo amplecti, quae ab Ecclesia vi supremae auctoritatis suae subinde nobis credenda iniungantur. Immo, neque sub specie refovendae concordiae fas est vel unum dissimulare dogma; nam ut Alexandrinus Patriarcha admonet: « pacem quidem desiderare summum bonum est atque praecipuum ...verumtamen non ob hanc causam despici oportet pietatis in Christo virtutem.» [18]. Quamobrem ad optatissimum aberrantium filiorum reditum ad germanam rectamque in Christo unitatem via illa ac ratio non conducit, quae illa dumtaxat doctrinae capita persequatur, in quae amplectenda vel omnes, vel saltem plurimae eorum, qui christiano gloriantur nomine, communitates conveniant; sed illa potius, quae universas atque integras divinitus patefactas veritates veluti christifidelium concordiae consensionisque fundamentum ponat.

Ob strenuam eiusmodi fortitudinem in fidei integritate retinenda tutandaque S. Cyrillus Alexandrinus exemplo omnibus esto. Ipse siquidem vixdum Nestorii errorem detexit, per epistulas eum et alia scripta refutavit, Romanum appellavit Pontificem, atque in Ephesina Synodo, eius per-

[17] Cf. Ep. 55; ib., 292-293.

sonam gerens, gliscentem haeresim mira doctrina intrepidoque pectore retudit atque damnavit; ita quidam ut omnes Concilii Patres, lecta publice Cyrilli epistula, quae dogmatica appellatur, eam rectae fidei omnino consonam sollemni sententia comprobarent. Ac praeterea ob hanc apostolicam strenuitatem et inique fuit ab Episcopali suo munere deturbatus, et iniurias fratrum, conciliabuli non legitimi improbationem, carceres angoresque multos, sereno invictoque animo toleravit. Itemque non modo Episcopis, e recto veritatis concordiaeque itinere aberrantibus, sed ipsi etiam Augusto Imperatori, pro sanctissimi conscientia officii, aperte obsistere non dubitavit. Atque etiam, ut omnes norunt, christianae alendae tutandaeque fidei paene innumera exaravit volumina, e quibus praestantissimae elucent eius sapientiae iubar, impavida eius pectoris constantia, ac pastoralis eius sollicitudinis navitas.

## II

Fidei vero nexui caritas accedat oportet, qua invicem omnes et cum Christo coniungamur; quaeque, Divino Spiritu instincta atque permota, mystici Corporis Redemptoris membra infragili vinculo inter se conectat. Haec autem caritas aberrantes etiam viaque deceptos homines amplecti non renuat; quod quidem in mira S. Cyrilli agendi ratione in exemplum cernere licet. Ipse enim, quamvis fortiter contra Nestorii haeresim decertaverit, aperte tamen asseverat, incensa ut erat caritate actus, se nulli concedere, ut ardentius quam ipsemet, Nestorium amare fateatur[18]. Idque non immerito. Ii sunt enim qui e recto itinere aberrant, veluti aegrotantes fratres habendi, ac leni suavique cura tractandi. Quam ad rem prudentissima haec Alexandrini Patriarchae consilia recolere iuvat. « Res enim

[18] Ep. 61: ib., 325.
[19] Cf. Ep. 9: ib., 62.

— ita admonet — magnae eget moderationis »[20]. « Nam durae saepe collisiones multos ad impudentiam impellunt; meliusque est blande potius sustinere resistentes, quam iuris acumine molestiam illis creare. Nam sicut si corpus illis aegrotaverit, manu prorsus tractandi forent; ita laboranti animae prudentia quadam succurendum est, medelae instar adhibita. Pedetentim enim ipsi quoque ad sincerum animi statum devenient »[21]. Atque alibi haec adicit: « Peritorum medicorum industriam ... imitati sumus: hi enim morbos et vulnera in humano corpore nascentia non statim igne aut ferro atrociter curant; sed vulnere levioribus primo medicamentis delinito, tempus praestolantur ustioni et sectioni opportunum »[22]. Eiusmodi ut erat misericordia benignitateque erga errantes animatus, aperte profitetur se « pacis quidem perstudiosum, a litibus vero ac rixis alienum esse prorsus: denique talem, qui omnes amare et ab omnibus vicissim amari »[23] peroptet.

Haec prona S. Doctoris ad concordiam facilitas tum maxime enituit, cum, priore severitate mitigata, paci conciliandae cum Antiochenae Provinciae Episcopis studiose diligenterque vacavit. De eorum enim legato agens, haec inter alia scribit: « Fortasse non parva certamina se obiturum suspicabatur, ut nobis persuaderet opus esse ut in concordiam et pacem conecterentur Ecclesiae, tolleretur-que heterodoxorum irrisio, ac diabolicae improbitatis acies retunderetur. Verum ita nos ad eam rem paratos comperit, ut nullum penitus laborem sustinuerit. Memores enim sumus Salvatoris nostri dicentis: 'Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis' »[24]. Quandoquidem vero huic ineundae paci duodecim obstabant Capitula, a S. Cyrillo in Alexandrina Synodo composita — quae quidem Capi-

[20] Ep. 57: ib., 322.
[21] Ep. 58: ib., 322.
[22] Ep. 18: ib., 123-126.
[23] Ep. 9: ib., 62.
[24] Ep. 39: ib., 175.

tula cum de « unione physica » in Christo loquerentur, ab Antiochenis uti heterodoxa reiciebantur — benignissimus Patriarcha, quamvis haec scripta non improbaret neque reiceret, utpote quae orthodoxam proponerent doctrinam, pluribus tamen datis epistulis ita mentem suam aperuit, ut quaelibet arceretur vel minima erroris species, ac facilior ad concordiam via pateret. Haec autem Episcopis praestitit « non iam sicut repugnantibus, sed sicut fratribus »[25]. Nam, ipso auctore, « propter Ecclesiarum pacem, et ne hae invicem ob opinionum dissensum separentur, non sunt inutiles condescensiones »[26]. Itaque feliciter evenit, ut S. Cyrilli caritas uberes pacis fructus colligeret optatissimos. Quam quidem albescentem pacem cum tandem aliquando cernere potuit, et Antiochenae Provinciae Episcopos, Nestorianam haeresim damnantes, fraterno animo complecti, superno gaudio perfusus exclamavit: » 'Laetentur caeli, et exultet terra!' Solutus est enim medius paries maceriae, et quod maerorem afferebat, conquievit, et omne dissidiorum genus sublatum est, omnium nostrum Salvatore Christo pacem Ecclesiis suis tribuente »[27].

Iamvero, ut remotissimo eo tempore, ita in praesenti quoque, Venerabiles Fratres, ad eam auspicato provehendam, ad quam boni omnes contendunt, dissidentium filiorum cum una Ecclesia Christi conciliationem, procul dubio sincera atque efficax animorum benevolentia adiumentum afferet, afflante iuvanteque Deo, omnium validissimum. Hic enim benevolentiae affectus mutuam refovet cognitionem, ad quam quidem procurandam perficiendamque Decessores Nostri per varia incepta tantopere allaborarunt, ac nominatim per conditum in hac alma Urbe Pontificium Institutum altioribus rerum orientalium provehendis studiis. Itemque aestimatione debita ea omnia amplectatur oportet, quae Orientalibus gentibus fuere, peculiare veluti

---

[25] Ep. 33: ib., 161.
[26] Ep. 43: ib., 222-224.
[27] Ep. 39: ib., 174.

patrimonium, a maioribus tradita; simul quae ad sacram Liturgiam et ad Hierarchicos Ordines spectent, simul etiam quae ad ceteras christianae vitae rationes pertineeant, modo eadem cum germana religionis fide rectisque de moribus normis penitus concordent. Sit enim necesse est singulis universis orientalis ritus populis in rebus omnibus, quae a sua cuiusque historia a suoque cuiusque ingenio atque indole pendent, legitima libertas, quae tamen a vera et integra Iesu Christi doctrina non discrepet. Idque sciant ac secum reputent tum qui in Catholicae Ecclesiae gremio sunt nati, tum qui desiderio ac voto eidem assequendae velificantur: qui etiam omnes noscant ac pro certo habeant se numquam coactum iri ad proprios legitimos ritus et ad antiquitus sibi tradita instituta cum latinis ritibus institutisque commutanda; quae quidem omnia, aequali aestimatione aequalique decore habenda, communem matrem Ecclesiam quasi regia circumdant varietate. Quin immo eiusmodi rituum institutionumque diversas, dum id, quod unicuique antiquum est atque pretiosum, partum tectumque servat, verae sinceraeque unitati minime obsistit. Nostris autem potissimum temporibus, quibus bellica discordia atque simultas fere ubique terrarum ab se invicem hominum animos abalienarunt, oportet omnes ad coniunctionem in Christo ac per Christum omni ope fovendam, christiana caritate acti, etiam atque etiam compellantur.

## III

Verumtamen fidei caritatisque opus mancum prorsus atque inefficax esset ad unitatem in Christo Iesu confirmandam, nisi in inconcussa illa inniteretur petra, supra quam Ecclesia est divinitus condita: in Petri nimirum eiusque Successorum suprema auctoritate. Quod quidem Alexandrini Patriarchae in gravissima hac causa agendi ratio luculentissime comprobat. Ipse enim tum in Nestoriana profliganda haeresi, tum in concilianda cum Antio-

chenae provinciae Episcopis concordia, arctissime fuit constantissimeque cum Apostolica hac Sede coniunctus. Siquidem quando evigilans Praesul Nestorii errores perspexit cum periculosiore cotidie rectae fidei discrimine gliscere et usquequaque grassari, ad Decessorem Nostrum S. Caelestinum I litteras dedit, in quibus haec inter alia habentur: « Quoniam Deus hisce in rebus vigilantiam a nobis exigit, et longa Ecclesiarum consuetudo suadet ut ut huiusmodi res cum sanctitate tua communicentur, scribo plane necessitate adactus » [28]. Ad quae quidem Romanus Pontifex respondet se Cyrillum « velut praesentem in litteris suis » amplexum esse « cum unum idemque ... sentire de Domino » [29] viderentur. Quapropter Antistes sacrorum Maximus huic tam orthodoxo Doctori auctoritatem Apostolicae Sedis delegavit, qua ipse decreta, iam in Romana Synodo contra Nestorium lata, exsequenda curaret. Atque omnibus perspicuum est, Venerabiles Fratres, Alexandrinum Patriarcham in Ephesino Concilio celebrando Romani Pontificis vices rite gessisse, qui quidem propriis etiam missis Legatis id maximopere iisdem commendavit, ut S. Cyrilli operam auctoritatemque confirmarent. Ipse igitur Romani Episcopi nomine sacrae huic Synodo praefuit, eiusque acta primus omnium signavit. Ac tam patens omnibus, tam splendens erat inter Apostolicam et Alexandrinam Sedem concordia, ut cum in secunda Concilii sessione fuisset S. Caelestini epistula publice perlecta, ita Patres conclamarent: « Hoc iustum iudicium, Novo Paulo Caelestino, novo Paulo Cyrillo, Caelestino custodi fidei, Caelestino cum Synodo concordi, Caelestino universa Synodus gratias agit. Unus Caelestinus, unus Cyrillus, una fides Synodi, una fides orbis terrarum » [30]. Nihil igitur mirum quod paulo post idem Cyrillus rescripsit: « Fidei meae rectitudini testimonium perhibuit et Romana Eccle-

---

[28] Ep. 11: ib., 79.
[29] Cf. *Ep. ad Cyrillum*: ib., 90.
[30] Mansit, IV, 1287.

sia, et sancta quoque Synodus ex universo, ut ita dicam, orbe qui sub caelo est, congregata »[31].

Ac praeterea haec eadem constantissima S. Cyrilli cum Apostolica Sede coniunctio luculenter patet, si res ab eo gestas consideramus ad pacem cum Antiochenae provinciae Episcopis ineundam ac solidandam. Etenim Decessor Noster S. Caelestinus cum omnia probaret rataque haberet, quae Alexandrinus Antistes in Ephesina Synodo peregerat, excipiendam tamen iudicavit excommunicationis sententiam, quam Concilii Praeses, una cum ceteris Patribus, contra Antiochenos tulerat. « De his autem — ita Romanus Pontifex — qui cum Nestorio videntur pari impietate sensisse ... quamquam legatur in eos vestra sententia, tamen nos quoque decernimus quod videtur. Multa perspicienda sunt in talibus causis, quae Apostolica Sedes semper aspexit ... Antiochenum, si habet spem correctionis epistulis a vestra fraternitate volumus conveniri ... Credendum de divina est misericordia quod omnes in viam redeant veritatis »[32]. Huic autem a Romana Sede datae normae S. Cyrillus obtemperans, cum Antiochenae provinciae Episcopis de redintegranda pace atque concordia agere coepit. Cumque interea, S. Caelestino piissime vita functo, de eius Successores Xysto III quidam referrent moleste eum tulisse Nestorium ab Episcopali suo munere fuisse reiectum, eiusmodi voces Alexandrinus Patriarcha hisce verbis refutavit: « Scripsit enim (Xystus) consona sanctae Synodo, omniaque illius gesta confirmavit, ac nobiscum sentit »[33].

E quibus omnibus liquido patet S. Cyrillum cum hac Apostolica Sede omnino consensisse, itemque Decessores Nostros eius gesta quasi habuisse propria, meritisque extulisse laudibus. Siquidem S. Caelestinus, praeterquam innumera ei fiduciae gratique animi praebuerat testimonia,

---

[31] *Apol. ad Theodos.*: MIGNE, *P. G.*, LXXVI, 482.
[32] Ep. 22: MIGNE, *P. L.*, L, 542-543.
[33] Ep. 40: MIGNE, *P. G.*, LXXVII, 202.

haec inter alia eidem scribebat: « Gratulamur tantam inesse sanctitati tuae vigilantiam, ut decessorum tuorum, qui et ipsi semper defensores orthodoxi dogmatis existiterunt, exempla iam viceris ... Omnes tendiculas praedicationis callidae detexisti ... Magnus fidei nostrae triumphus est et asseruisse nostra tam fortiter, et adversa Sanctarum Scripturarum testimoniis sic devicisse »[34]. Et cum eius in Summo Pontificatu Successor S. Xystus III ab Alexandrino Antistite accepisset initae pacis conciliationisque nuntium, haec laetabundus eidem scripsit: « Ecce enim sollicitis nobis, quia neminem perire volumus, sanctitas tua redintegratum corpus Ecclesiae suis epistulis indicavit. Redeuntibus eius in sua membra compagibus, neminem foris iam videmus errare, quia intus omnes positos fides una testatur ... Ad beatum apostolum Petrum fraternitas universa convenit: ecce auditorium congruens auditoribus, conveniens audiendis ... Ad nos reversi sunt fratres, ad nos, inquam, qui morbum communi studio persequentes, animarum curavimus sanitatem ... Exsulta, Frater carissime, et ad nos recollectis fratribus victor exsulta. Quaerebat Ecclesia quos recepit. Nam si neminem perire volumus de pusillis, quanto magis gaudendum nobis est sanitate rectorum? »[35]. Quibus quidem Decessoris Nostri verbis recreatus Alexandrinus Praesul, invictus orthodoxae fidei vindex, christianaeque concordiae conciliator studiosissimus, in pace Christi quievit.

Nos vero, Venerabiles Fratres, natalis huius memoriam quindeciens saecularem celebrantes, nihil desiderabilius optamus, quam ut omnes, quotquot christiano censentur nomine, S. Cyrilli patrocinio et exemplo, dissidentium fratrum orientalium felicem ad Nos et ad unam Iesu Christi Ecclesiam reditum magis in dies magisque promoveant. Una sit omnibus intemerata fides; una, omnesque simul coagmentans, in mystico Iesu Christi Corpore cari-

---

[34] Ep. 11, 1-2: MIGNE, *P. L.*, L, 461.
[35] Ep. 5, 1. 3. 5: ib., 602-604.

tas, una denique ac sedula actuosaque erga beati Petri Sedem fidelitas. In hoc meritissimum dignumque opus non modo ii vires omnes impendant, qui in orientalibus regionibus vitam degunt, quique mutua aestimatione, conversatione benevola, integerrimae virtutis exemplo seiunctos fratres, sacrorum praesertim administros, ad Ecclesiae unitatem facilius allicere poterunt, sed cuncti etiam christifideles, unum ubique terrarum Divini Redemptoribus Regnum unumque universorum ovile a Deo implorantes atque adprecantes. Quibus quidem omnibus illam imprimis validissimam opem commendamus, quae in quolibet suscipiendo salutifero labore primum ac praecipuum sit oportet simul tempore simulque efficacitate adiumentum: precationem dicimus ardenti, demisso fidentique animo ad Deum admotam. Ac potentissimum interponant cupimus Deiparae Virginis patrocinium, ut hac benignissima deprecatrice et amantissima omnium Matre, Divinus Spiritus Orientalium gentium animos superna sua luce illuminet, utque omnes unum simus in una Ecclesia a Iesu Christo condita, et ab ipso Paraclito Spiritu iugi gratiarum imbre alita ad sanctitatemque permota. Iis vero, qui vel in sacris ephebeis, vel in ceteris collegiis vitam agunt, « Diem pro Oriente », ut aiunt, peculiari modo commendatum volumus; pro quidem die incensiores preces ad Divinum universae Ecclesiae Pastorem effundantur, ac iuvenum animi sanctissimae eiusmodi unitatis assequendae desiderio impensius instimulentur. Atque omnes denique, qui, vel sacro decorati sunt ordine, vel in Catholicae Actionis agmina in ceterasque consociationes adsciti, adiutricem Ecclesiasticae Hierarchiae navant operam, qua precibus, qua scriptis, qua alloquiis, optatissimam Orientalium omnium cum communi Patre unitatem etiam atque etiam provehant.

Ac faxit utinam Deus, ut paterna haec Nostra impensaque invitatio ab iis etiam dissidentibus Episcopis eorumque gregibus benevolenti exaudiatur anmo, qui, a Nobis

licet seiuncti, Alexandrinum tamen Patriarcham uti domesticam gloriam dilaudant ac venerantur. Esto praeclarissimus Doctor eis magister atque exemplum ad concordiam triplici illo vinculo iterum instaurandam, quod ipse, utpote rem omnino necessariam, tantopere commendavit, et quo Divinus Ecclesiae Conditor universos filios suos devinciri voluit. Meminerint iidem Nos illam hodie, providentis Dei consilio, Apostolicam obtinere Sedem, ad quam Alexandrinus Antistes, proprii officii conscientia ductus, provocavit, tum ut orthodoxam fidem contra Nestorii errores tutis armis defenderet, tum etiam ut dissidentium fratrum pacata consensio quasi divino sigillo muniretur. Ac sciant Nos eadem esse, qua Decessores Nostri, caritate permoti; idque iugibus votis ac precibus potissimum intendere, ut inveteratis obstaculis feliciter remotis, ille tandem illucescat dies, quo unus in uno ovili habeatur grex, Iesu Christo eiusque in terris Vicario concordibus animis obtemperans.

Eos autem peculiari modo ex orientalibus regionibus dissidentes filios compellamus, qui utique Cyrillum summa veneratione colunt, sed tamen Chalcedonensis Synodi auctoritatem idcirco non agnoscunt, quod in ea sollemniter sancitum fuit duplicem esse in Iesu Christo naturam. Perpendant iidem quae deinceps fuere, novis emergentibus erroribus, in Chalcedonensi Concilio decreta, non ea Alexandrinum Patriarcham suâ sententiâ renuere. Ipse enim aperte scribit « non omnia, quae haeretici dicunt, statim fugienda ac repudianda esse: multa enim confitentur ex iis, quae nos quoque asserimus... Sic et de Nestorio quoque, licet duas naturas esse dicat, carnis et Verbi Dei differentiam significans: est enim alia Verbi, alia carnis natura: attamen unionem una nobiscum non confitetur » [36].

Itemque fore sperare licet, ut hodierni quoque Nestorii assectatores, si, remoto a praeiudicatis opinionibus

[36] Ep. 44: Migne, *P. G.*, LXXVII, 226.

animo, S. Cyrilli scripta exquisierint intenteque reputaverint, viam sibi ad veritatem patere cernant, seseque sentiant, adspirante iuvanteque Deo, ad Catholicae Ecclesiae gremium revocari.

Iam nihil aliud superest, Venerabiles Fratres, nisi ut, per hanc S. Cyrilli celebrationem quindeciens saecularem, universae Ecclesiae, iisque praesertim omnibus, qui in orientalibus regionibus christiano gloriantur nomine, praesentissimum Sancti huius Doctoris patrocinium supplices imploremus, id potissimum ut dissidentibus fratribus ac filiis feliciter eveniat comprecantes, quod ipse olim gratulabundus scripsit: « Ecce divulsa ecclesiastici corporis membra rursum inter se coadunata sunt, et iam nihil reliquum est, quod ministros Evangelii Christi per discordiam seiungat » [37].

Qua quidem suavissima spe freti, cum vobis singulis universis, Venerabiles Fratres, tum gregibus unicuique vestrum concreditis, caelestium munerum auspicem, paternaeque benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die IX mensis Aprilis, dominica Resurrectionis D. N. I. Ch., anno MDCCCCXXXXIV, Pontificatus Nostri sexto.

## Annotationes

Litterae encyclicae « Orientalis Ecclesiae Decus », quae praeprimis *commemorativam* indolem induunt, mentem pariter S. Pontificiis Pii XII circa redintegrationem Orientalium in Ecclesiam Catholicam nobis patefaciunt. Magistro enim et duce S. Cyrillo Patriarcha Alexandrino, cuius hoc anno recurrit quindeciens centenaria obitus memoria, tres illi proponuntur atque illustrantur cardines,

[37] Ep. 49: ib., 254.

quibus unitas Ecclesiae maxime consistit et proinde solerti studio restituendi sunt: una fides, una caritas, una legitimae hierarchiae obedientia. Triplici hoc vinculo adducendi sunt Orientales fratres ad optatissimam unitatem, praesertim hisce nostris temporibus « quibus omnes christifideles, collatis mentibus ac viribus, in unam Iesu Christi Ecclesiam congregari necesse est, ut contra invalescentes cotidie magis impietatis conatus communis acies conferta, concors, immota repugnet ».

### 1. Una fides.

Pluribus adductis textibus S. Cyrilli, tanti viri in ortodoxa fide tutanda ac roboranda invicta splendet constantia. Ne quidem pro bono pacis sustulit integritatem fidei labefactari. Quae cum etiam hodie ita esse debeant, « non ad germanam rectamque in Christo unitatem instaurandam via illa ac ratio conducit, quae non universas atque integras divinitus patefactas veritates veluti christianorum concordiae consensionisque fundamentum ponat, sed illa dumtaxat doctrinae capita, in quae amplectenda vel omnes, vel saltem plurimae christifidelium communitates conveniant ». Quibus augusti Pontificis verbis respui dicenda est illa methodus quae hodie apud nonnullos « protestantes » viget quaeque fucato nomine « *oecumenismi* » insignitur. Ii enim, quibus propriae sunt ephemerides periodicae, in diversis congressibus quos cum Orientalibus dissidentibus celebrarunt in id convenerunt ut, collatis omnium confessionibus, minimum aliquod « Credo » compilaretur quod a cunctis uti communis formula fidei admitti posset. Haec autem unio pacti cuiusdam diplomatici naturam prae se fert, nec unitati christianorum fundamentum praebere potest. Totum enim fidei depositum manifeste ab omnibus est asserendum. Quae cum ita sint, existimamus fore ut auctores illius « oecumenismi », qui interdum ipsam Ecclesiam Romanam ad propriam confoede-

rationem invitarunt, ab hac inani spe tempestive desistant. Orientalibus autem, quibus saepius politicae rationes unitatis viam praepedierunt, opportune exemplum S. Cyrilli recolitur. Hic enim « ipsi etiam Augusto Imperatori, pro sanctissimi conscientia officii, aperte obsistere non dubitavit ».

## 2. Una caritas.

In necessariis, fidei unitas: in ceteris libertas: in omnibus caritas. Pius XII, insistens in doctrina recentiorum praesertim SS. Pontificum, affirmat Orientales separatos caritate quam maxime ad concordiam esse reducendos. Unitas vero non significat uniformitatem, quae potius consonantiae animorum gravissima obstacula movere posset. Palam praedicatur a Romano Pontifice aequipollentia omnium legitimorum rituum, sive sint latini sive orientales: quare mutua aestimatio ac reverentia non autem absorptio utriuslibet tanquam norma iuridica ac practica in hoc apostolatu retinenda est.

Verba huius encyclicae Epistolae anteriora documenta pontificia — « Rerum Orientalium » Pii XI, « Orientalium dignitas » Leonis XIII — confirmant et quodammodo complent. Legitur enim: « Aestimatione debita ea omnia amplectatur oportet [benevolentiae affectus], quae Orientalibus gentibus fuere, peculiare veluti patrimonium, a maioribus tradita; simul quae ad sacram Liturgiam et ad Hierarchicos Ordines spectent, simul etiam quae ad ceteras christianae vitae rationes pertineant, modo eadem cum germana religionis fide rectisque de moribus normis penitus concordent. Sit enim necesse est singulis universis orientalis ritus populis in rebus omnibus, quae a sua cuiusque historia a suoque cuiusque ingenio atque indole pendent, omnigena libertas, quae ab Evangelii tamen doctrina non discrepet ». Quare sciant Orientales « se numquam coactum iri ad proprios legitimos ritus et ad an-

tiquitus sibi tradita instituta cum latinis ritibus institutisque commutanda ». Nunquam, nisi fallimur, tam ample et clare illa libertas a S. Sede promulgata fuerat quae catholicis orientalis ritus competit: extenditur enim non ad solam sacram liturgiam sed etiam ad ius ecclesiasticum immo et « ad ceteras christianae vitae rationes », ubi sponte comprehenduntur manifestationes pietatis popularis, « devotiones », observantiae religiosae, ars sacra: brevi, quidquid sit orientalis indolis et cum catholica fide normisque de moribus non repugnet. Forsan posset haec ipsa regula ita exprimi: Sanctum ac tutandum est apud Orientales quidquid habent qua *Orientales;* illud autem quod a *separatione* orum sumpsit corrigendum est.

Cum his intime cohaeret prohibitio ne Orientales ullo modo ad « latinizationem » cogantur. Nulla enim ratio ad talem transitum exinde repetenda est quod ritus latinus orientali praestet, cum e contra omnes ritus catholici ab Ecclesia pari aestimatione colantur. Hae solemnes Pii XII declarationes, quae normas hucusque vigentes corroborant, natae sunt plura praeiudicia e medio tollere sicque viam Orientalibus, suarum rerum rite amatoribus, ad unionem cum vera Ecclesia sternere.

### 3. Una obedientia.

Hic residet absque dubio praecipuum contra unitatem obstaculum. Neque mirum est encyclicam nullam mentionem de unitate sacramentaria fecisse, cum Orientales illa eadem septem sacramenta recognoscant quae a magisterio catholico uti ligamina essentialia Mystici Corporis proponuntur, inter quae eminet Eucharistia, vinculum unitatis.

Discrepantia et reluctantia dissidentium Orientalium versatur quam maxime circa primatum et infallibilitatem Romani Pontificis. Quae tamen discrepantia non est in antiqua traditione orientali. Immo doctrina et exemplum

S. Cyrilli Alexandrini perspicuum pro primatu romano praebet argumentum. Uti enim encyclica animadvertit, praesul alexandrinus, qui et ipse in Oriente potiores partes habebat, in controversia nestoriana rem ad sedem Romani Pontificis detulit, nec nisi huius auctoritate ac legatione haeresim in Concilio Ephesi damnavit. Quod autem hucusque minus erat ponderatum, etiam in actibus Cyrillum inter et antiochenos habitos ad pacem tandem aliquando restaurandam, Cyrillus sub influxu egit Romani Pontificis ad quem ipse statim de concordia inita litteras misit. Opus autem Cyrilli Romanus Pontifex magnis laudibus cumulavit atque ut proprium habuit.

His positis, paternus animus Pii XII facili modo prorumpit in ferventem ad unitatem exhortationem. Faxit Deus et intercessio Deiparae, quam Orientales adeo colunt, ut tandem concordia triplici illo vinculo restauretur! Huic fini utilissimus erit ante omnia orationis apostolatus, qua occasione S. Pontifex sollemniori auctoritate laudat « Diem pro Oriente », quem hucusque sola S. Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus per Epistulam diei 27 ianuarii 1935 commendaverat.

Dissidentes ipsi invitantur a Romano Pontifice, ut sub lumine S. Cyrilli, domesticae gloriae, ad communionem cum S. Sede redeant, in qua et hodie Successorem illorum Pontificum invenient cum quibus Patriarcha alexandrinus submisso obsequio agere voluit.

Monophysitae rogantur ne auctoritatem Concilii Chalcedonensis ideo respuant quia in eo sancita est sollemni definitione formula illa dyophysitica in qua ipse S. Cyrillus orthodoxum sensum recognovit. Tandem Nestorianis commendatur serenum examen operum S. Cyrilli, quae ipsis praecipuum « scandalum » ad unionem constituunt.

Legenti encyclicam « Orientalis Ecclesiae decus » utrumque patebit; et reditum Orientalium dissidentium Pio XII maxime cordi esse, et ad hanc concordiam assequendam normas illas fidei, caritatis et obedientiae nova

vi corroborari, quae speciatim modernis temporibus a S. Sede proclamatae erant.

I. Ortiz de Urbina, S. I.

## 2 - SS. D. N. Pius Pp. XII
## Nuntius Radiophonicus

*AAS* xxxvi [22 sept. 1944] p. 249).

A BEATISSIMO PATRE, DIE I SEPTEMBRIS A. MDCCCCXLIV, QUINTO VERTENTE ANNO AB INITO PRAESENTI BELLO, ORBI UNIVERSO DATUS.

### I - *La difesa della civiltà cristiana.*

Oggi, al compiersi del quinto anno dallo scoppio della guerra, la umanità, mentre si volge indietro a rimirare il cammino di lagrime e di sangue affannosamente percorso in questo fosco quinquennio di storia, inorridisce dinanzi all'abisso di miseria, in cui lo spirito della violenza e il predominio della forza l'hanno precipitata, e pur senza lasciarsi abbattere dal ricordo del passato, ricerca ansiosamente le cause di una così funesta catastrofe spirituale e materiale, risoluta a prendere ogni più efficace rimedio contro il ripetersi, in altre forme, della immane tragedia.

Scossi dal cumulo di tante rovine, molti animi onesti si ridestano come da un sogno angoscioso, bramosi di trovare anche in altri campi — fino ad ora mutuamente separati e lontani — collaboratori, compagni di via e di lotta, per la grande opera di ricostruzione di un mondo, scalzato nelle sue fondamenta e dilacerato nella sua più intima compagine.

Nulla certamente di più naturale, nulla di più opportuno, nulla — supposte le indispensabili cautele — di più doveroso!

Per quanti si gloriano del nome cristiano e professano

la fede in Cristo con una condotta di vita inviolabilmente conforme alle sue leggi, questa disposizione e prontezza di animo a lavorare in comune, nello spirito di una vera solidarietà fraterna, non obbedisce soltanto all'obbligo morale del retto adempimento dei doveri civili; essa si eleva alla dignità di un postulato della coscienza sorretta e guidata dall'amore di Dio e del prossimo, cui aggiungono vigore i segni ammonitori del momento presente e la intensità dello sforzo richiesto per la salvezza dei popoli.

Il quadrante della storia segna oggi un'ora grave, decisiva, per tutta l'umanità.

Un mondo antico giace in frantumi. Veder sorgere al più presto da quelle rovine un nuovo mondo, più sano, giuridicamente meglio ordinato, più in armonia con le esigenze della natura umana: tale è l'anelito dei popoli martoriati.

Quali saranno gli architetti che disegneranno le linee essenziali del nuovo edificio, quali i pensatori che daranno ad esso l'impronta definitiva?

Ai dolorosi e funesti errori del passato succederanno forse altri non meno deplorevoli, e il mondo oscillerà indefinitamente da un estremo all'altro? ovvero si arresterà il pendolo, grazie all'azione di saggi reggitori di popoli, su direzioni e soluzioni che non contraddicano al diritto divino e non contrastino con la coscienza umana e sopratutto cristiana?

Dalla risposta a questa domanda dipende la sorte della civiltà cristiana nell'Europa e nel mondo. Civiltà che, lungi dal portare ombra o pregiudizio a tutte le forme peculiari e così svariate di vivere civile nelle quali si manifesta l'indole propria di ciascun popolo, s'innesta in esse e vi ravviva i più alti principi etici: la legge morale scritta dal Creatore nei cuori degli uomini [1], il diritto di natura derivante da Dio, i diritti fondamentali e la intangibile dignità della persona umana; e per meglio piegare le vo-

[1] Cfr. *Rom.* 2, 15.

lontà alla loro osservanza, infonde nei singoli uomini, in tutto il popolo e nella convivenza delle nazioni quelle energie superiori, che nessun potere umano vale anche soltanto lontanamente a conferire, mentre, a somiglianza delle forze della natura, preserva dai germi velenosi che minacciano l'ordine morale, di cui impedisce la rovina.

Così avviene che la civiltà cristiana, senza soffocare nè indebolire gli elementi sani delle più varie culture native, nelle cose essenziali le armonizza, creando in tal guisa una larga unità di sentimenti e di norme morali — fondamento saldissimo di vera pace, di giustizia sociale e di amore fraterno fra tutti i membri della grande famiglia umana.

Gli ultimi secoli hanno veduto, con una di quelle evoluzioni piene di contraddizioni di cui la storia è scaglionata, da un lato, sistematicamente minati i fondamenti stessi della civiltà cristiana, dall'altro, invece, il patrimonio di essa diffondersi pur sempre attraverso tutti i popoli. L'Europa e gli altri continenti vivono ancora, in diverso grado, delle forze vitali e dei principi, che la eredità del pensiero cristiano ha loro trasmessi quasi come in una spirituale trasfusione di sangue.

Alcuni giungono a dimenticare questo prezioso patrimonio, a trascurarlo, perfino a ripudiarlo; ma il fatto di quella successione ereditaria rimane. Un figlio può ben rinnegare sua madre; egli non cessa perciò di essere a lei unito biologicamente e spiritualmente. Così anche i figli, allontanatisi e straniatisi dalla casa paterna, sentono pur sempre, talvolta inconsapevolmente, come voce del sangue, l'eco di quella eredità cristiana, che spesso nei propositi e nelle azioni li preserva dal lasciarsi interamente dominare e guidare dalle false idee, a cui essi, volutamente o di fatto, aderiscono.

La chiaroveggenza, la dedizione, il coraggio, il genio inventivo, il sentimento di carità fraterna di tutti gli spiriti retti ed onesti determineranno in quale misura e

fino a qual grado sarà dato al pensiero cristiano di mantenere e di sorreggere l'opera gigantesca della restaurazione della vita sociale, economica ed internazionale in un piano non contrastante col contenuto religioso e morale della civiltà cristiana.

Perciò a tutti i Nostri figli e figlie nel vasto mondo, come anche a coloro che, pur non appartenendo alla Chiesa, si sentono uniti con Noi in quest'ora di determinazioni forse irrevocabili, rivolgiamo l'urgente esortazione di ponderare la straordinaria gravità del momento e di considerare come, al di sopra di ogni collaborazione con altre divergenti tendenze ideologiche e forze sociali, suggerita talora da motivi puramente contingenti, la fedeltà al patrimonio della civiltà cristiana e la sua strenua difesa contro le correnti atee ed anticristiane è la chiave di volta, che mai non può essere sacrificata, a nessun vantaggio transitorio, a nessuna mutevole combinazione.

Questo invito, che confidiamo troverà un'eco favorevole in milioni di anime sulla terra, tende principalmente ad una leale ed efficace collaborazione in tutti quei campi, nei quali la creazione di un più retto ordinamento giuridico si manifesta come particolarmente richiesta dalla stessa idea cristiana. Ciò vale in modo speciale per quel complesso di formidabili problemi, che riguardano la costituzione di un ordine economico e sociale più rispondente all'eterna legge divina e più conforme alla dignità umana. In esso il pensiero cristiano ravvisa come elemento sostanziale la elevazione del proletariato, la cui risoluta e generosa attuazione apparisce ad ogni vero seguace di Cristo non solo come un progresso terreno, ma anche come l'adempimento di un obbligo morale.

II. - *Alcuni aspetti della questione economica e sociale*

Dopo anni amari d'indigenza, di restrizioni e soprattutto di angosciosa incertezza, gli uomini attendono, al

termine della guerra, un profondo e definitivo miglioramento di così tristi condizioni.

Le promesse di uomini di Stato, le molteplici concezioni e proposte di dotti e di tecnici, hanno suscitato fra le vittime di un malsano ordinamento economico e sociale una illusoria aspettazione di palingenesi totale del mondo, un'esaltata speranza di un regno millenario di universale felicità.

Tale sentimento offre un terreno favorevole alla propaganda dei programmi più radicali, dispone gli spiriti a una ben comprensibile, ma irragionevole e ingiustificata impazienza, che nulla si ripromette da organiche riforme e tutto aspetta da sovvertimenti e da violenze.

Di fronte a queste tendenze estreme il cristiano, che seriamente medita sui bisogni e le miserie del suo tempo, rimane nella scelta dei rimedi fedele alle norme che l'esperienza, la sana ragione e l'etica sociale cristiana additano come i fondamenti e i principi di ogni giusta riforma.

Già il Nostro immortale Predecessore Leone XIII nella sua celebre Enciclica *Rerum novarum* enunciò il principio che per ogni retto ordine economico e sociale « deve porsi come fondamento inconcusso il diritto della proprietà privata ».

Se è vero che la Chiesa ha sempre riconosciuto « il diritto naturale di proprietà e di trasmissione ereditaria dei propri beni » [2], non è tuttavia men certo che questa proprietà privata è in particolar modo il frutto naturale del lavoro, il prodotto di una intensa attività dell'uomo, che l'acquista grazie alla sua energica volontà di assicurare e sviluppare con le sue forze l'esistenza propria e quella della sua famiglia, di creare a sè e ai suoi un campo di giusta libertà, non solo economica, ma anche politica, culturale e religiosa.

La coscienza cristiana non può ammettere come giusto un ordinamento sociale che o nega in massima o

[2] Enciclica *Quadragesimo anno*.

rende praticamente impossibile o vano il diritto naturale di proprietà, così sui beni di consumo come sui mezzi di produzione.

Ma essa non può nemmeno accettare quei sistemi, che riconoscono il diritto della proprietà privata secondo un concetto del tutto falso, e sono quindi in contrasto col vero e sano ordine sociale.

Perciò là dove, per esempio, il « capitalismo » si basa sopra tali erronee concezioni e si arroga sulla proprietà un diritto illimitato, senza alcuna subordinazione al bene comune, la Chiesa lo ha riprovato come contrario al diritto di natura.

Noi vediamo infatti la sempre crescente schiera dei lavoratori trovarsi sovente di fronte a quegli eccessivi concentramenti di beni economici, che, nascosti spesso sotto forme anonime, riescono a sottrarsi ai loro doveri sociali e quasi mettono l'operaio nella impossibilità di formarsi una sua proprietà effettiva.

Vediamo la piccola e media proprietà scemare e svigorirsi nella vita sociale, serrata e costretta com'è ad una lotta difensiva sempre più dura e senza speranza di buon successo.

Vediamo, da un lato, le ingenti ricchezze dominare l'economia privata e pubblica, e spesso anche l'attività civile; dall'altro, la innumerevole moltitudine di coloro che, privi di ogni diretta o indiretta sicurezza della propria vita, non prendono più interesse ai veri ed alti valori dello spirito, si chiudono alle aspirazioni verso una genuina libertà, si gettano al servigio di qualsiasi partito politico, schiavi di chiunque prometta loro in qualche modo pane e tranquillità. E la esperienza ha dimostrato di quale tirannia in tali condizioni anche nel tempo presente sia capace la umanità.

Difendendo dunque il principio della proprietà privata, la Chiesa persegue un alto fine etico-sociale. Essa non intende già di sostenere puramente e semplicemente

il presente stato di cose, come se vi vedesse la espressione della volontà divina, nè di proteggere per principio il ricco e il plutocrate contro il povero e non abbiente: tutt'altro! Fin dalle origini, essa è stata la tutrice del debole oppresso contro la tirannia dei potenti e ha patrocinato sempre le giuste rivendicazioni di tutti i ceti dei lavoratori contro ogni iniquità. Ma la Chiesa mira piuttosto a far sì che l'istituto della proprietà privata sia tale quale deve essere secondo i disegni della sapienza divina e le disposizioni della natura: un elemento dell'ordine sociale, un necessario presupposto delle iniziative umane, un impulso al lavoro a vantaggio dei fini temporali e trascendenti della vita, e quindi della libertà e della dignità dell'uomo, creato ad immagine di Dio, che fin dal principio gli assegnò a sua utilità un dominio sulle cose materiali.

Togliete al lavoratore la speranza di acquistare qualche bene in proprietà personale; quale altro stimolo naturale potreste voi offrirgli per incitarlo a un lavoro intenso, al risparmio, alla sobrietà, mentre oggi non pochi uomini e popoli, avendo tutto perduto, nulla più hanno se non la loro capacità di lavoro? O si vuol forse perpetuare l'economia di guerra per la quale in alcuni Paesi il pubblico potere ha in mano tutti i mezzi di produzione e provvede per tutti e a tutto, ma con la sferza di una dura disciplina? Ovvero si vorrà soggiacere alla dittatura di un gruppo politico, che disporrà, come classe dominante, dei mezzi di produzione, ma insieme anche del pane, e quindi della volontà di lavoro dei singoli?

La politica sociale ed economica dell'avvenire, l'attività ordinatrice dello Stato, dei Comuni, degl'istituti professionali, non potranno conseguire durevolmente il loro alto fine, che è la vera fecondità della vita sociale e il normale rendimento della economia nazionale, se non rispettando e tutelando la funzione vitale della proprietà privata nel suo valore personale e sociale. Quando la di-

stribuzione della proprietà è un ostacolo a questo fine — ciò che non necessariamente nè sempre è originato dalla estensione del patrimonio privato —, lo Stato può nell'interesse comune intervenire per regolarne l'uso, od anche, se non si può equamente provvedere in altro modo, decretare la espropriazione, dando una conveniente indennità. Per lo stesso scopo la piccola e la media proprietà nell'agricoltura, nelle arti e nei mestieri, nel commercio e nell'industria debbono essere garantite e promosse; le unioni cooperative debbono assicurare loro i vantaggi della grande azienda; dove la grande azienda ancor oggi si manifesta maggiormente produttiva, deve essere offerta la possibilità di temperare il contratto di lavoro con un contratto di società [3].

Nè si dica che il progresso tecnico si oppone a tale regime e spinge nella sua corrente irresistibile tutta l'attività verso aziende ed organizzazioni gigantesche, di fronte alle quali un sistema sociale fondato sulla proprietà privata dei singoli deve ineluttabilmente crollare. No; il progresso tecnico non determina, come un fatto fatale e necessario, la vita economica. Esso si è fin troppo spesso docilmente chinato dinanzi alle esigenze dei calcoli egoistici avidi di accrescere indefinitamente i capitali; perchè dunque non si piegherebbe anche dinanzi alla necessità di mantenere e di assicurare la proprietà privata di tutti, pietra angolare dell'ordine sociale? Anche il progresso tecnico, come fatto sociale, non deve prevalere al bene generale, ma essere invece a questo ordinato e subordinato.

Al termine di questa guerra, che ha sconvolto tutte le attività della vita umana e le ha lanciate verso nuovi sentieri, il problema della futura configurazione dell'ordine sociale farà sorgere una lotta ardente fra le varie tendenze, in mezzo alla quale la concezione sociale cristiana ha l'ardua, ma anche nobile missione di mettere in evidenza

---

[3] Cfr. Enciclica *Quadragesimo anno*.

e di mostrare teoricamente e praticamente ai seguaci di altre dottrine come in questo campo, così importante per il pacifico sviluppo della umana convivenza, i postulati della vera equità e i principi cristiani possono unirsi in uno stretto connubio generatore di salvezza e di bene per quanti sanno rinunziare ai pregiudizi e alle passioni e prestare orecchio agli insegnamenti della verità. Noi abbiamo fiducia che i Nostri fedeli figli e figlie del mondo cattolico, araldi della idea sociale cristiana, contribuiranno — anche a prezzo di notevoli rinunzie — all'avanzamento verso quella giustizia sociale, di cui debbono aver fame e sete tutti i veri discepoli di Cristo.

### III. - *Pensieri di carità.*

L'esortazione alla vigilanza e alla prontezza di tutti i cristiani per gl'immani doveri di un avvenire, che sembra ormai prossimo, non deve farCi perdere di vista le acute angustie del presente. Nè alcuno si meraviglierà se, pur abbracciando di eguale amore tutti i popoli della terra, la Nostra sollecitudine in questo campo e in questo momento si porta in una maniera speciale verso l'Italia e Roma.

Le dirette operazioni di guerra, che hanno sconvolto gran parte del suolo italico, sono ora lontane anche dalla Eterna Città. Ma le conseguenze dirette e indirette del conflitto sono ben lungi dall'esser cessate. L'Urbe, che Maria, *Salus populi romani*, Madre del Divino Amore, protesse nell'ora del pericolo, non risuona più del rombo delle battaglie. Ma la lotta contro la miseria, contro la fame, la disoccupazione, il disagio economico, ha raggiunto in molte regioni d'Italia una estensione tale che richiede, massime in vista dell'inverno, un pronto ed efficace rimedio.

Nessuno ignora come di fatto nelle grandi guerre alle dure necessità di carattere militare si dia ordinaria-

mente la precedenza sopra ogni diverso riguardo e considerazione. D'altra parte, chiunque non si lasci guidare da particolari tendenze, ma rifletta sulla imperiosa esigenza di provvedere insieme ai bisogni essenziali della vita civile, ammetterà e riconoscerà le funeste influenze e i danni che la sistematica requisizione, asportazione o distruzione di preziosi mezzi di trasporto hanno cagionato al rifornimento di viveri sufficienti e acquistabili a prezzo ragionevole. Ognuno altresì comprende come questo stato anormale, unito con la egualmente vasta distruzione, requisizione o asportazione di potenti mezzi di produzione, abbia provocato una paralisi nella vita economica, le cui ripercussioni materiali e spirituali sulla popolazone divengono ogni giorno più sintomatiche e minacciose.

Non sterili accuse porteranno rimedio a tanto male, ma la sincera e generosa collaborazione di quanti hanno possibilità e autorità per servire agli interessi del Paese. Non è forse desiderabile che cooperino al bene comune persone probe, oneste, sperimentate, franche e immuni da qualsiasi macchia di delitti o di reali abusi, anche se nel passato si trovarono in altro campo politico, il che spianerebbe altresì la via alla unione degli animi?

Nessun popolo, accasciato sotto il peso di sciagure fisiche e morali, puö risollevarsi da solo, con le proprie forze, dalla sua prostrazione.

Ma d'altra parte nessun popolo, giustamente geloso del suo onore, si adatterebbe ad attendere il suo risorgimento unicamente dall'aiuto altrui, e non in pari tempo dallo sforzo della propria volontà e delle proprie energie.

Perciò Noi, conoscendo la profonda miseria in cui sono cadute estese regioni d'Italia, innanzi tutto ricordiamo a coloro, i quali nel Paese stesso posseggono ampie scorte e abbondante raccolto di viveri, l'obbligo di non sottrarli, per avidità di maggiori guadagni, a quelli che languiscono di fame, memori dei tremendi castighi dal

Giudice eterno minacciati a chi è senza pietà per il fratello sofferente. Invochiamo poi dai popoli, la cui capacità economica non è stata sostanzialmente danneggiata dalla guerra, di porgere alla popolazione d'Italia, nei limiti del possibile e senza pregiudizio di quanto è dovuto anche ad altre Nazioni egualmente indigenti, quei soccorsi, di cui ha bisogno specialmente nel periodo iniziale della sua rinascita.

Di buon animo riconosciamo ciò che è stato fatto — e sappiamo che ancor più s'intende di fare — in tal senso dalle Potenze alleate, come altresì volentieri apprezziamo gli sforzi compiuti dalle Autorità italiane. Niuno più di Noi, — cui le cure dell'Apostolico Ministero mettono più facilmente in grado di conoscere i dolori dei poveri e degli oppressi, — sente nel cuore intima gratitudine verso quanti, in Italia e all'estero, — Governi, Episcopato, Clero, laici, — hanno cooperato e cooperano a così nobile scopo. Se pur troppo non Ci è stato fin qui possibile di ottenere l'uso di motovelieri o di altre navi per il trasporto di generi alimentari e per il ritorno di profughi alle loro terre, abbiamo tuttavia la fiducia di conseguire prossimamente altri mezzi per arrecare sollievo a numerose sventure. E come per il passato, così anche per il futuro serberemo profonda riconoscenza verso quanti Ci metteranno in condizione di attenuare la dolorosa sproporzione fra la eseguità delle Nostre proprie risorse e la grandezza incommensurabile dei più urgenti bisogni.

Noi salutiamo in questa prestazione di soccorsi da popolo a popolo, già iniziata durante la guerra e pur nei ristretti limiti che questa consente, il ridestarsi di un senso di generosità, non meno umanamente elevato che politicamente saggio; senso, che nel calore della lotta e nell'appassionata affermazione dei contrastanti interessi può bensì affievolirsi, ma non interamente estinguersi, e che, fondato com'è sulla natura stessa e sulla concezione

cristiana della vita, dovrà poi tornare pienamente in onore, non appena la spada avrà compiuto la dura opera sua.

## IV. - *Pensieri di pace.*

Nulla senza dubbio Noi più ardentemente desideriamo che di vedere quanto prima splendere il giorno in cui, cessato il fragore delle armi, saranno ridate a tanta parte della umanità torturata, e quasi all'estremo limite delle sue forze fisiche e morali, pace, sicurezza e prosperità.

Quo maior ergo sit possibilitas creandi hoc novum institutum iuridicum, eo magis urgebit gravissima obligatio nihil intentatum relinquendi ut illud de facto exsistentiam iuridicam sortiatur. Atque hoc scopo semel obtento bellum erit non modo *illicitum*, utpote medium ineptum et minime proportionatum fini intento ob gravissima mala certo obventura, sed etiam *iniustum*, cum non amplius dici possit medium unicum ad vindicanda iura forte conculcata et sic tandem eradetur illud e codice internationali.

Inuratur ergo imprimis probrosa nota inhonestatis bellum quodcumque ab Statibus initum non audita vel neglecta sententia collegii internationalis; addatur praeterea comminatio iustae punitionis auctoribus tanti sceleris sine mora infligendae. Hac ratione bellum in societate humana iacebit perpetuo sub pondere proscriptionis, cui impediendo sollers cura, cui puniendo, si casus ferat, celer et efficax interventus ceterorum populorum semper inpromptu aderit. Firma vis atque soliditas novae ordinationi pacis, ait Summus Pontifex, praestabitur non modo per mutuas cautiones, sed etiam ubi necessitas postulaverit, per sanctiones oeconomicas et usum vis armatae.

In hac allocutione describuntur a S. Pontifice clare et distincte notae essentiales quibus collegium internationale noviter erigendum instructum esse debebit, ut salu-

tiferam actionem inter populos exerere possit. Veram potestatem possideat necesse est in singula membra, quae tamen aequalem prorsus libertatem retinebunt extra sphaeram collegio internationali exclusive reservatam. Decisionibus vero ab hoc supremo tribunali debito modo prolatis efficacia erit praestanda per sapientem usum vis coactivae. Sic demum fiet ut flagellum belli non torqueat in posterum familiam humanam ad arbitrium cuiusque Status, sed ad summum erit medium quo auctoritas suprema internationalis iura legitime agnita tueatur atque vindicet. Nec fortasse esset confugiendum unquam ad usum huius terribilis remedii, si membra universae familiae humanae mitiore modo veram coercitionem serio et tempestive in Statum contumacem exercerent.

Trita est obiectio contra huiusmodi ordinationem vitae internationalis moveri solita, eo quod veluti imminueretur suprema potestas singulorum Statuum. Quicumque vero attente rem consideret ilico perspiciet hanc difficultatem omni prorsus destitui valore. Singulis enim Statibus tanta competit potestas quanta requiratur ad finem sibi praestitutum obtinendum; iamvero ratio innixa tristi experientia nos edocet oportere, immo necessarium esse, ut illa parva restrictio, de qua supra, aequali modo omnibus Statibus imponatur, ut finis ab ipsis intentus possit secure et stabiliter obtineri. Nam sub constanti timore violentae aggressionis fieri non potest ut dirigatur convenienter actio subditorum in prosperitatem veri nominis promovendam; quo fit ut medium tendens ad illud periculum dissipandum vel arcendum debeat ab Statibus acceptari proprii finis obtinendi causa.

Divisio familiae humanae in diversos Status eatenus est admittenda quatenus efficacius inserviat prosperitati communi singulorum Statuum; si vero independentia eorum modo absoluto urgeatur, irrationabilis omnino evadit illa divisio atque summopere nocet non solum bono communi universae familiae humanae, quod etiam prae oculis

omnino habendum est, sed etiam bono singulorum Statuum. Breviter: debet iam institui, utpote possibilis in hodiernis adiunctis, communis conspiratio populorum in bonum universae familiae humanae; ad hoc necessario est creandum institutum iuridicum internationale, suprema potestate, quod attinet ad res sibi proprias, non modo legislativa et iudiciaria sed etiam coactiva instructum. Potissimum huius instituti munus erit perturbatores pacis tempestive reprimere vel saltem efficaciter punire. Cessio aliqua propriae auctoritatis a singulis membris in hac nova rerum internationalium ordinatione necessario facienda nullo modo repugnat genuino conceptui supremae potestatis Statui, qua tali, competentis, immo apprime cum eodem cohaeret.

Pius XII, qui haud semel ante hoc tempus monuerat debere vitari in erigendis institutis internationalibus defectus aptos solum, ut experientia docet, ad suffocandam rectam actionem et efficaciam eorundem, aperte nunc asserit vim coactivam necessariam esse ut decisiones Societatis Statuum de facto exsecutioni mandentur. Atque hac assertione generali minime contentus expresse loquitur tum de sanctionibus ordinis oeconomici tum de ipso usu vis armatae. Hinc patet defectum applicationis seriae et tempestivae sanctionum efficacium influxisse non parum, secundum S. Pontificem, in exitum infelicem priorum tentaminum in hoc ordine factorum. His locutionibus explicat Pius XII formulam generalem iam a Benedicto XV propositam, secundum quam sanctiones erant determinandae contra Statum, qui nollet vel deferre ad collegium internationale suas controversias cum aliis Statibus vel decisiones iam prolatas acceptare. Iustitia vero exigit ut in hac re nulla differentia instituatur inter Status potentes et debiles, cum summum decus iuris sit potissimum aequale pondus paremque vim pro omnibus indistincte habere.

Ut autem hic novus ordo internationalis firma petra consistat, pax, quae tantae caedi finem imponat, deberet

esse verae iustitiae opus. Fieri non poterit quin vulnus inflictum iustitiae feriat etiam letaliter ipsam pacem cuius adventus celebratur. Quam accuratissime describit S. Pontifex pericula in hac perdifficili occasione fugienda. Non est profecto contra iustitiam, ait, eos, qui delicta iuris communis commiserint, aequo modo punire, sed quam diligenter cavendum erit ne una cum exsecutoribus delicti eorumque cooperatoribus communitates qua tales puniantur. Non est rursus contra iustitiam exigere reparationem damnorum, quae occasione belli illata fuerint, modo pondus impositum populis victis sit aequum, potentiam oeconomicam eorum non excedat et ad rationabiles limites temporis circumscribatur; pondera enim temporaria possunt admitti, perpetua vero, utpote nociva stabilitati pacis, sunt excludenda. Si demum impediri forsan non possit quominus populi victi subiaceant temporarie rigori cautionum, quae securitatis causa eis imponi debeant, donec mutua fiducia inter populos instauretur, nihilominus erunt pari tempore recreandi solida spe fore ut admittantur denuo veluti membra societatis populorum aequalibus iuribus praediti, semel ac vera atque efficaci cooperatione ostenderint sinceram suam voluntatem adimplendi diligenter officia Statibus in novo ordine imposita. Rigor enim cautionum iustificatur exsistentia alicuius veri periculi; hoc autem dissipatum esse nihil luculentius ostendit quam sincera cooperatio in ordine internationali conservando et augendo. Fiducia mutua inter populos, admodum necessaria ad pacem stabilem firmandam, hac aequalitate iurium et officiorum efficaciter alitur atque fovetur.

Suntne cives illorum populorum, quibus victoria armorum arridet, sufficienter praeparati ad novum aedificium pacis super firmo iustitiae fundamento exstruendum? Si ratio habeatur eorum quae publici iuris fiunt, sine temeritate responderi potest nondum affulsisse diem in quo pax iuxta condi possit. Hinc quod prudentia suadeat *ea*

*sola de gentibus victis statim post cessatum strepitum armorum decerni,* quae hic et nunc necessaria sint pro vita internationali instauranda; defervescente vero aestu passionum opportuna habebitur occasio cetera omnia determinandi iuxta exigentias iustitiae et caritatis.

Ecclesia indefessa tutrix dignitatis personae humanae nos docet omnem hominem venientem in hunc mundum, sive divitem sive egenum, sive sapientem sive ignarum, sive potentem sive debilem, a Deo procedere et ad Deum tendere. Nec quidquam valent hac in re vel potentia vel debilitas Status ad quem quis ut civis pertineat; attenditur solummodo character sacer personae humanae: ecce elementum validissimum ad unionem fraternam inter cives diversorum populorum instituendam. Ecclesia desumit praeterea e thesauro doctrinae evangelicae principia moralia, quibus regi debet ordo internationalis atque ea clare exponit firmiterque defendit, nec his contenta, confert simul ut fidelis dispensatrix mysteriorum Dei vim potentissimam gratiae supernaturalis ut ordo et rerum et finium a Deo institutus, de facto conservari possit. Quotquot spiritu christiano rite sint informati munera habent exsequenda vere egregia in tristissimis adiunctis in quibus familia humana nunc versatur. Faxit Deus ut actio quae ab eisdem exseratur par sit magnitudini operis!

PH. AGUIRRE, S. I.

## 5 - SS. D. N. Pius Pp. XII
## Motu proprio

(*AAS* XXXVII [26 mart. 1945] p. 65).

DE NOVAE PSALMORUM CONVERSIONIS LATINAE USU IN PERSOLVENDO DIVINO OFFICIO.

PIUS PP. XII

In cotidianis precibus, quibus sacerdotes maiestatem Dei altissimi bonitatemque colunt, ac suis ipsorum, totius Ecclesiae universique orbis consulunt necessitatibus, peculiarem profecto locum praeclara illa carmina obtinent, quae, Divino afflante Spiritu, Sanctus propheta David aliique sacri auctores composuere, quaeque Ecclesia, Divino Redemptore eiusque Apostolis praeeuntibus, inde ab originibus in sacris celebrandis continenter adhibuit. Hos autem Psalmos Latina Ecclesia a graecae linguae fidelibus receptos habet, ex graeco nempe in latinum sermonem, verbo pro verbo fere reddito, conversos, atque identidem decursu temporis, imprimisque a S. Hieronymo, in Sacris exponendis Litteris Doctore Maximo, naviter correctos atque expolitos. At hisce correctionibus nota illa graecae ipsius interpretationis menda, quibus primigenii textus sensus et vis non parum obscurantur, non ita ablata sunt, ut sacri Psalmi ab omnibus queant et ubique facile intellegi; atque omnes norunt ipsum S. Hieronymum non satis habuisse antiquam illam latinam « translationem diligentissime emendatam » suae linguae civibus dare, sed maiore etiam conatu Psalmos ex ipsa « hebraica veritate »[1] convertisse in latinum. Quae tamen nova Sancti Doctoris interpretatio in Ecclesiae usum deducta non fuit; sed paulatim emendatior illa veteris conversionis latinae editio, quam *Psalterium Gallicanum* vocant, adeo invaluit, ut eam decessor Noster S. Pius V in Breviarium Romanum recipere

atque adeo omnium fere usui praescribere opportunum duxerit.

Latinae huius interpretationis obscuritates mendaque, a S. Hieronymo neutiquam expuncta — quippe qui id solum sibi proposuerit, ut latinum textum secundum emendatiores codices graecos corrigeret — aetate recentiore idcirco magis magisque manifesta oculis occurrerunt, quod antiquarum linguarum, imprimisque hebraicae, cognitio admodum profecit, quod interpretandi ars perfectior evasit, quod metricae denique ac rhythmicae sermonum orientalium leges altius fuere investigatae, et « criticae textualis » quae dicitur, normae clarius perspectae sunt. Accedit quod ex multis illis Psalmorum in vulgatas linguas conversionibus, quae in diversis nationibus, approbante Ecclesiae auctoritate, ex textibus primigeniis confectae sunt, illustrius in dies patet quantopere carmina illa, ut in nativis dictionibus habentur, perspicuitate eximia, poëtica venustate doctrinaeque amplitudine excellant.

Haud mirum igitur est si sacerdotes non paucos, qui Horarias Preces non modo summa religione, sed pleniore etiam cum intellegentia recitare student, laudabile incessit studium talem habendi in cotidiana Psalmorum lectione latinam conversionem, qua sensus, a Spiritu Sancto inspirante intentus, significantius patescat, qua pii Psalmistae affectus perfectius exprimantur, qua dicendi ars verborumque vis clarius usque manifestentur. Quod quidem studium atque optatum, tam in voluminibus a doctis probatisque viris exaratis, quam in commentariis certo tempore edi solitis identidem patefactum, etiam ad Nos a non paucis sacrorum administris sacrorumque Antistitibus, atque etiam a nonnullis S. R. E. Patribus Cardinalibus perlatum est. Nos autem, pro eximia illa, quam erga Divinae Scripturae eloquia fovemus reverentia, id summis viribus enitendum arbitramur, ut plenius in dies fidelibus pateat Sacrarum Litterarum sensus a Spiritu Sancto inspirante datus et hagiographi calamo expressus, quemadmodum in Encyclicis

Litteris *Divino afflante Spiritu* haud ita multo ante exposuimus. Quapropter, etsi rei difficultates minime parvi pendimus, neque ignoramus Vulgatam quae dicitur interpretationem arctissime esse cum Sanctorum Patrum scriptis Doctorumque explanationibus conexam, eamdemque longo saeculorum usu summam in Ecclesia nactam esse auctoritatem, attamen piis hisce votis morem gerere statuimus; atque adeo novam Psalmorum latinam conversionem apparari iussimus, quae et textus primigenios presse fideliterque sequeretur, et veteris venerandae Vulgatae aliarumque antiquarum interpretationum, quantum fieri posset, rationem haberet, variasque earum dictiones ad criticae artis normas perpenderet. Probe enim novimus ne ipsum quidem hebraicum textum omni mendo omnique obscuratione immunem ad nos pervenisse; atque adeo cum aliis opus esse ab antiquitate nobis traditis textibus eum conferre, ut diligentior ac sincerior inveniatur sententiae dictio; immo id quoque aliquando contingere ut, adhibitis etiam omnibus critices linguarumque scientiae subsidiis, verborum sensus non omnino clare patefiat, atque id futurae investigationi relinquatur, ut nempe, dedita pro facultate opera, res uberiore luce perfundatur. Minime tamen dubitamus quin hodie, omnibus recentioris doctrinae adiumentis sedulo adhibitis, iam talis fieri possit conversio quae Psalmorum sensum ac vim adeo clare exhibeat, ut sacerdotes, in Divino persolvendo Officio facile perspicientes quid Spiritus Sanctus per os Psalmistae significare voluerit, divinis hisce eloquiis efficaciter ad veram genuinamque pietatem excitentur ac moveantur.

Iamvero, postquam nova, quae in votis erat, interpretatio a Nostri Pontificii Instituti Biblici professoribus cum ea, qua par est, cura ac diligentia confecta est, hanc iis omnibus, qui officio tenentur Horarias Preces cotidie recitare, paterna offerimus voluntate; dum, rebus omnibus perpensis, motu proprio ac matura deliberatione Nostra concedimus ut eadem, sive in privata sive in publica recita-

tione, si libuerit, utantur, postquam, ad Psalterium Breviarii Romani accommodata, ab Officina Libraria Vaticana in lucem edita fuerit.

Ex hac pastorali sollicitudine Nostra, Nostraque erga Deo devotos viros ac mulieres paterna caritate confidimus fore, ut deinceps omnes maiorem in dies hauriant ex Divino persolvendo Officio lucem, gratiam, consolationemque, quibus quidem collustrati atque impulsi difficillimis hisce Ecclesiae temporibus ad imitanda illa sanctitatis exempla, quae ex Psalmis tam praeclare effulgent, magis magisque conformentur, et ad illos enutriendos refovendosque moveantur divini amoris, strenuae fortitudinis, piaeque paenitentiae sensus, ad quos Spiritus Sanctus in Psalmorum lectione nos excitat.

Quae autem per has Litteras, motu proprio datas, decrevimus ac statuimus, ea rata firmaque sunto, contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiarissima etiam mentione dignis.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXIV mensis Martii anno MDCCCCXXXXV, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. XII

## Annotationes

### I

Prodiit tandem in lucem a Pontificio Instituto Biblico editum - iamdiu a multis exspectatum Psalterium latinum una cum Litteris Apostolicis *Motu proprio* datis a S.mo Dno N. Pio Papa XII feliciter regnante, quibus et reformationis ratio describitur et copia fit volentibus in Officio divino persolvendo hoc novo Psalterio utendi, ex quo ab Officina Libraria Vaticana in lucem editum fuerit.

Certe in fastis huius Pontificatus, qui tam brevi tempore insignibus omnis generis operibus claruit, sive colla-

tam sublevandis omne genus stragibus operam respexeris, quas immane bellum congessit, sive eam doctrinae partem quae regendis et administrandis populis et continendis in officio principibus sita est, sive eam vel maxime quae ad fidem Ecclesiae fideliumque vitam intimam pertinet, albo calculo signari oportebit diem 24um mensis martii quo litterae de novo psalterio datae sunt.

Quae in pulcherrimis encyclicis litteris « Divino afflante Spiritu » de Sacris Scripturis explicantur, ea nunc optimo consilio ad partem quae omnium maxime in manibus nostris versantur, ad usum sapientissime deducta esse conspicimus.

Documentum ipsum brevissimum est adeoque intellectu facile, ut vix ulla explicatione sit opus, nisi quae clare insinuantur velis exemplis confirmare.

Et primum quidem memorat quem locum obtineant psalmi inter ceteras Sacrae Scripturae partes.

Tum breviter subiungit quae sit versionis latinae Psalterii quo utimur natura; et unde eius naevi procedant. In Psalterio enim nostro, quod *Gallicanum* appellari solet, habemus versionem pristinam versionis graecae Septuaginta, quam S. Hieronymus leviter tantum et timide immutavit, timide inquam, ne contra usus quotidiani flumen pugnaret. Has autem correctiones ipsas induxit ex aliis versionibus graecis, ex ea potissimum quae 5a dicitur, quia in Hexaplis Origenianis 5am columnam occupat. Iam vero in hoc processu facile apparent errorum causae si ob oculos versetur ipsum primum interpretem graecum fuisse satis imperitum. Ut enim notum est, in Versione bibliorum graeca magna est varietas; interpres autem Psalmorum non pauca praebet imperfectionis argumenta. Mirum in modum perturbat saepe tempora; ut videatur indolem consecutionis hebraicae temporum non intellexisse; quae obscura sunt divinando obscuriora plerumque reddit; alia in medio relinquit versione adeo servili ut vix intelligi possit. Sed haec ipsa vitia graviora fiunt versione antiqua latina, quae rur-

sus verbum verbo premit, quasi vestigium vestigio, ita ut quae adhuc graece consistere possunt, latine non possint: ut sunt multa eiusmodi: « In convertendo Dominus captivitatem » etc. His malis mederi Sanctus Hieronymus partim tantum voluit, non solum in ea recensione quae Gallicana dicitur, sed in ea quoque versione nova, quam ex hebraico resumpsit, in qua finem potissimum sibi praestituit ut eam lectionem praeberet, qua christiani in controversiis cum Iudaeis uti possent.

Quocirca nihil mirum est si nostra memoria desiderium melioris e collatis primigeniis lectionibus conflatae versionis latinae quotidie apud multos cresceret, idque e variis quae in documento enumerantur causis: e penitiore nimirum linguarum antiquarum atque imprimis hebraicae cognitione, ex arte interpretandi perfectiore, ex investigatione accuratiore artis metricae et rhythmicae, denique e certioribus artis criticae textualis legibus, non ex numero codicum sed e reductione in stipites et familias; tandem ex ipsis novis Psalmorum in linguas vernaculas versionibus, quae cum pulchritudinem nativae poëseos multo melius referrent, stimulos adiiciebant ut idem ipsum latine fieri desideraretur, quo iis maxime, qui divinis vacare debent, pensum divini Officii faciliorem maiore cum gustu afferret intelligentiam et sensa excitaret ad fovendam pietatem aptiora. Sic tandem saepe scriptis libris et lucubrationibus a doctis viris significatum, sic compluribus Episcoporum et nonnullorum Patrum Cardinalium votis a Summo Pontifice expetitum: qui quo erat ipse in hoc opus propensior, eo libentius, et exspectatione celerius, annuit.

Qua in re duae potissimum, eaeque arduae, vincendae fuerunt difficultates: altera versionis ipsius labor, vere improbus; altera, nec minoris momenti, psalterii veteris cum Patrum et Doctorum commentariis connexio, quibus commentariis necessario magnam partem in his quae a nova versione dissident vis pereat necesse est. Nihil tamen obstitit, quominus et haec difficultas maiori perpensae uti-

litati posthaberetur, et labori aggrediendo certi quidam designarentur limites: primum, ut versio primigenias lectiones cum fidelitate persequeretur, nec tamen Veteris Vulgatae aliarumque antiquarum versionum aequam rationem negligeret; quem ad finem ad criticae artis trutinam passim lectiones perpendi opus esset, severissima nempe et periculosa disciplina, quae lectiones ipsas hebraicas a masoretis traditas saepe e versionum testimonio aliter conformare suadebit. Quodsi, omnibus etiam adhibitis recentioris scientiae subsidiis, quaedam obscuriora erunt, aut post electam unam e pluribus lectionem quis tandem sit genuinus sensus in ancipiti manebit, non praecluditur futurae investigationi via, quam tentare liberum sit sapientibus.

His conditionibus susceptus et ad finem a Pontificii Instituti Biblici magistris aptissime perductus labor a Summo Pontifice laudatur, copia facta etiam in divino Officio novae versionis, cum legitime vulgabitur, adhibendae.

## II

Restat, ut lectoribus pro spatii angustiis, specimen aliquod demus laboris peracti [1], qui mense Ianuario anni 1941 ab ipso Summo Pontifice Instituto Biblico Pontificio commendatus, illico maxima cum diligentia susceptus et impigre continuatus, brevi, pro rei natura, temporis intervallo absolutus est. Pro rei natura, inquam. Nam, ut ipsi interpretes in prologo [2] declarant, « cum nova haec interpretatio, iussu Summi Pontificis, e textibus primigeniis conficienda esset, textus illi, praecipue hebraicus Psalmorum et Canticorum, ut huic operi rite inservire possent, secundum normam artis criticae determinandi erant » (pag. XXIII).

---

1 Cfr. etiam VACCARI, S. J. *Civiltà Cattolica* (1945) 21 Aprile p. 84-94.

2 Liber Psalmorum / cum Canticis Breviarii / Romani / nova / e textibus primigeniis / interpretatio latina / cum notis criticis et exegeticis / cura / Professorum Pontificii Instituti Biblici / edita. Romae / e Pontificio Instituto Biblico, MCMXLV.

Primum igitur, idque omnium difficillimum studium in id incumbere debuit, ut textus genuinus, saepe perturbatus, in integrum restitueretur. Quod ut certius obtineri posset, invocanda erat saepe auctoritas interpretum alexandrinorum, qui antiquioribus masoretico textibus usi sunt, et saepe etiam vel diversa ex alia consonantium earumdem divisione orta vocabula intellexerunt, vel diversas consonantes legerunt, vel easdem quidem consonantes sed diversis instructas vocalibus. Ubi igitur ambae lectiones discrepabant, utra eligenda esset, ex aliis causis iudicandum fuit; alias e sensu ad locum aptiore, alias e parallelismi lege, alias ex aliarum antiquarum versionum addita auctoritate; alias denique, sed caute admodum, coniectura probabili proposita, res in medio relinquenda fuit.

Exempla ubertim nullo fere labore quisque per se conferre poterit. In apparatu enim critico qui singulis fere Psalmis in editione Pontificii Instituti Biblici subiicitur, passim incurrit in oculos littera G versionem alexandrinam designans, cui frequenter adiunguntur aliarum quoque versionum signa, ut ostendatur eas quoque in auxilium dubiae lectionis masoreticae saepius esse invocatas.

Sic in Ps. 2, 9 pro lectione masoretica *t*ᵉ*ro*ʿ*em, franges eas* (gentes), substituta est lectio alexandrina *tir*ʿ*em reges eas*, prout adhibita est etiam ab interprete Syro et a Sancto Hieronymo in versione e codice hebraico; quod indicatur litterulis G S Hi.

Maiorem aliquoties mutationem inducit diversa vocabulorum per easdem (aut simillimas) consonantes decurrentium divisio. Facile et ad rem idoneum exemplum prostat in Psalmo 4, 3; qui secundum G vertitur:

> « Viri, quousque estis graves corde?
> quare diligitis vanitatem et quaeritis mendacium? »

ubi TM habet:

> « Viri, quousque gloria mea in ignominam,
> diligitis vanitatem » etc.

Discrepantia inde oritur, quod iisdem fere consonantibus diverso modo vocabula diviserunt TM et G. TM legit: KeBoDj LiKLiMmáH = gloria mea in ignominiam; G autem sola mutatione litterae Kaph in Beth, quae sunt inter se simillimae (nec solum in scriptura quadrata sed saepe etiam in antiquioribus), legit: KiBDe(J) LeB, LaMmáH. Sed posterior haec lectio prae masoretica praeferenda omnino videtur, utpote parallelismo congruentior; quo fit, ut utrumque membrum a particula interrogativa initium ducat: inde *quousque,* hinc *quare.*

In Ps. 2, 6 pervulgatus est locus:

> « Ego autem constitutus sum rex ab eo
> super Sion montem sanctum eius ».

TM aliter: « At ego constitui regem meum ..... sanctum meum ». Quae differentia inde procedit, quod ubi TM legit *nasákti malkí* et *har qodší,* alexandrinus legit passive *nissakti* iisdem consonantibus et deinde *mélek* sine suffixo et tandem *qodšó* pro *qodší,* levissimo inter litteras *wau* et *yod* discrimine.

In eodem Ps. 2 vexatus ille locus (v. 12) « apprehendite disciplinam » e probabili coniectura datur in nova recensione « praestate obsequium illi », subiecta notula, quae lectorem incertae et variis coniecturis agitatae lectionis certiorem facit. Quid ultra exigi possit, ubi necessario aliquid eligendum est e multis?

Non minoris sollertiae, simulque cautionis, indices sunt tum mutationes quae in Ps. 21 (22) locum habent, tum lectiones secundum Vulgatam retentae. Initio (v. 2) « Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti », resectum est « respice in me » quod additicium videtur (an ex confusione *'elay* = ad me?), nec a Christo Domino in cruce pronuntiatum cum aramaice haec verba rettulit (Mt. 27, 46; Mc 15, 34); sed contra additum est suffixum primae quoque voci *Deus*: « Deus meus, Deus meus ».

Deinde pro: « longe a salute mea verba etc ». vertitur:

« longe abes a precibus », substituto nempe iisdem consonantibus *mišu'ati* duplici vocabulo *miššaw'ati*, constante e praefixo et substantivo, quod eadem forma cum suffixo prostat etiam in Ps. 39,2: *šaw'ati*. Sensus his mutationibus inductus facilis est et obvius ac proinde prudenter electus, quidquid de aliis eiusdem loci coniecturis iudicari possit:

> « Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti,
> longe abes a precibus, a verbis clamoris mei ».

Ibidem, quamquam versui 3 nulla supponitur nota, celeberrimus est stichus: (Clamavi nocte) « et non ad insipientiam mihi » qui locus a Syro vertitur: « nec attendes me ». Iam vero, etiam in nova versione ita exhibetur locus:

> Deus meus, clamo per diem, et non exaudis,
> et nocte, et non attendis ad me ».

Quod fortasse etiam ab interprete alexandrino eodem modo redditum (*echeis enoian*) potuit facile ab scriba minus attento mutari (*eis anoian*), ut acute P. Zorell exposuit [1].

Multa sunt in eodem Psalmo, quae longum esset persequi, ut (v. 16) mutatio vocis *koḥi* (=virtus mea) in *ḥikki* (=guttur meum), quae contextae orationi et parallelismo concinnior videtur:

> « Aruit tanquam testa guttur meum,
> et lingua mea adhaeret faucibus meis »;

legitima prorsus conservatio (v. 17) lectionis *ka'ru* vel *ka'ᵃru* (=foderunt) pro masoretica *ka'ᵃri* (=sicut leo), quae probabilitate destituitur nec sensum habet aptum, licet peregrinae quaevis expositiones excogitatae sint [1], ut nihil dicamus de forma ipsa *'ᵃri* pro *'aryeh*, quae bis in eodem

---

[1] Cp. *Biblica* 7 (1926), p. 311.

Psalmo recurrit (vv. 14, 22, et de proximitate qua eadem comparatio ter occurreret; nonnihil etiam quod in apparatu critico praetermittitur: diversa nempe lectio et divisio versus [12], prout suggeritur a Kittel, quae in descriptione ipsa Messiae, passionis tempestate iactati, tollit incommodum quod suboriri potest e sententia: « quoniam tribulatio proxima est », mutato sensu in hunc alium:

« Ne longe steteris a me, quoniam tribulor;
prope esto: quia non est adiutor ».

Quod simplicissima et valde probabili litterarum et interpunctionis mutatione obtinetur; nimirum pro *ṣarah q^e robah* (=tribulatio proxima) *ṣar lî; q^e robah* (=angustiae mihi fiunt, *tribulor; prope esto*, quaeso).

Magna pars Psalmi 67 (68) nihil erat aliud quam aenigma perpetuum. Nunc partim e certis rationibus, partim e probabilibus coniecturis ita concinnatus est, ut saltem id quod pronuntiatur sensum reddat commodum et a persolvente officium intelligi possit.

Pro (v. 13): « Rex virtutum dilecti dilecti:
et speciei domus dividere spolia »,

nunc legimus: « Reges exercituum fugiunt, fugiunt;
et incolae domus dividunt praedam »,

et sic porro.

Saepe, mutata consecutione casuum et temporum, sensus fit planus et manifestus; saepe, resoluto hebraismo in conformationem latinam.

Sic Psalmo 73 (74);

(v. 2): « Memor esto congregationis tuae, quam redemisti ab initio.

Redemisti virgam hereditatis tuae
mons Sion in quo habitasti in eo ».

---

[4] Cfr. vgr. *Gregorianum* t. XXIV (1943) p. 238-245.

(v. 3): Leva manus tuas in superbias eorum in finem:
quanta malignatus est inimicus in Sancto!

(v. 4): Et gloriati sunt qui oderunt te:
in medio solemnitatis tuae.
Posuerunt signa sua, signa:

et non cognoverunt sicut in exitu super summum.

(v. 5): Quasi in silva lignorum securibus exciderunt ianuas eius in idipsum:

(v. 6): in securi et ascia deiecerunt eam ».

Quae omnia sic transformantur:

(v. 2): « Recordare sodalitatis tuae, quam condidisti ab antiquo,
tribus, quam redemisti tibi in possessionem,
montis Sion, in quo sedem posuisti.

(v. 3): Dirige gressus tuos ad ruinas perpetuas:
omnia vastavit inimicus in sanctuario.

(v. 4): Rugierunt adversarii tui in loco conventus tui,
posuerunt signa sua in tropaeum.

(v. 5): Similes sunt illis qui in condenso vibrant securim,
et iam ascia et malleo ianuas eius pariter contundunt ».

Et Psalmo 4 intricatum illud (v. 8):

« Dedisti laetitiam in corde meo.
A fructu frumenti vini et olei sui multiplicati sunt »

sic solvitur, ratione tantum habita hebraismi qui prave in graeco, obscurius in latino redditus est:

« Dedisti laetitiam in cor meum
maiorem, quam cum abundant tritico et vino ».

* * *

Lectione tandem his principiis determinata, perplexa satis quaestio restabat, quomodo latine redderetur. In va-

rias enim hodierno propemodum die, easque saepe oppositas sententias itum est, aliis latinitatem vulgarem, eam potissimum quae Veteris Latinae versionis colorem referret, propugnantibus, aliis puriorem et ad classicam magis accedentem. Hoc ultimum apud Pontificii Instituti Biblici magistros eo magis praevaluit, quod ipse Hieronymus in iis quae de suo et in integrum ex hebraico vertit, latinitate utitur elegantiore, perspicua utique et nequaquam superstitiosa, nullo tamen modo vel barbarismis vel soloecismis infecta. In psalmis ex hebraeo convertendis nondum libere egit, sed multa adhuc intacta relinquere maluit, quod aliis causis tribuendum est. Quae cum apud nos neutiquam exsistant, novae versionis ea norma fuit, ut, relictis iis quae christianus sermo peculiaria sibi vindicat nec facile aliis verbis substitui possunt, cum auctores pagani illarum rerum intelligentia caruerint, qualia sunt quae passim in sacra liturgia occurrunt; cetera, quae necessaria non sunt potiusque sermonem obscurant, prorsus eliminarentur. Quid enim lucri est dicere Ps. 125 (126),1: « In convertendo Dominus captivitatem Sion » cum simplicius latine efferre possis: « Cum reduceret Dominus captivos Sion » aut retinere hebraismum nobis impervium (Ps. 11, 3) « in corde et et corde », cum facilius sit idemque exprimat: « duplici corde »; aut, si pro eo ut dicas *laudabo, celebrabo* etc., repetas *confitebor*, quod illa notione caret, immo adeo etiam posteriore tempore caruit, ut christiani in Africa, audita voce, pectora tunderent et a Sancto Augustino, ne id ea occasione facerent, admonendi essent? Nec immerito tamen relicti sunt aliquot hebraismi quos sermonis ecclesiastici usus quotidianus nobis reddidit familiares, aut ii etiam quibus sublatis carmini gratia et nativus color deperiret.

Ad ipsum igitur decorum divini cultus pertinere videbatur, ut quemadmodum in reliqua liturgia latinitate utimur nobili, in qua elucet elegans quaedam simplicitas cum aequabili quodam numero et gravitate coniuncta, sic in

Psalterio, ex quo semel venerabilis antiqua versio reformanda esse censebatur, sublata iam traditionis ratione, non ut hactenus barbarismis et soloecismis indulgeretur. Sic etiam multae obscuritates, multae simul salebrae, multa offendicula de medio tollebantur, et versio multo planior, iucundior, aequabilior fluere poterat. Id quod in votis erat, quam egregie plerumque effectum sit, et adducta exempla indicant, et multo gratius ipsa perpetua Psalterii lectio demonstrabit. Si in pauculis offendas quod aut non adeo placet, aut perfectius efferri velles, id memineris: facilius esse naevos animadvertere, quam opera exsequi omnino perfecta, nec tandem posse omnibus satisfieri. « Nihil est ab omni parte beatum ». Nec ullus erit, arbitror, cui non hoc renovati Psalterii donum, quod imprimis Sanctitatis suae benevolentiae, tum etiam egregiis interpretibus acceptum referre debebit, vere gratissimum futurum sit.

F. Ogara, S. I.

# ACTA SUMMATIM RELATA

## 6 - SS. D. N. Pius Pp. XII

*A* — Sermo quem habuit Ssmus D. N. Pius Pp. XII die 24 decembris 1944, in pervigilio Nativitatis D. N. I. C. Iesu Christi, adstantibus Emmis PP. DD. Cardinalibus et Excmis PP. DD. Episcopis ac Romanae Curiae Praelatis (*AAS* XXXVII [28 ian. 1945] p. 5-23).

*B* — Epistula *Ex communiter datis*, 15 ian. 1945, ad R. P. D. ILDEBRANDUM VANNUCCI, Episcopum tit. Sebastenum, Ordinarium S. Pauli extra moenia, atque ad R. P. EDMUNDUM BERNARDINI, Sacri Ordinis Cisterciensis Abbatem generalem, saeculo octavo exeunte a beati Eugenii Pp. III electione ad Cathedram S. Petri, eiusque consecratione episcopali (*AAS* XXXVII [28 ian. 1945] p. 24-26).

*C* — Instructio pastoralis ad parochos Urbis et concionatores sacri temporis quadragesimalis de Sacramentis (*AAS* XXXVII [28 feb. 1945] p. 33-43).

*D* — Allocutio ad adscriptos Societatibus christianis operariorum Italicorum ex Italiae dioecesibus Romae coadunatos (*AAS* XXXVII [26 martii 1945] p. 68-72).

## 7 - S. C. Rituum

*Causae beatificationis et canonisationis*:

1. *Praenestina.* Decretum 3 dec. 1944, Super dubio: An signanda sit commissio reassumptionis causae canonisationis Beati STEPHANI BELLESINI in casu et ad effectum de quo agitur, Canonisationis B. STEPHANI BELLESINI, confessoris, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, parochi Genestani (*AAS* XXXVII [28 feb. 1945] p. 52-54).

2. *Barcinonensis.* Decretum 3 dec. 1944, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonisationis Servae Dei PETRAE A S. IOSEPH, in saeculo ANNAE PEREZ FLORIDO, fun-

datricis Congregationis Matrum derelictorum (*AAS* XXXVII [28 feb. 1945] p. 52-54).

3. *Taurinensis.* Decretum 3 dec. 1944, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonisationis Servae Dei TERESIAE VALSÈ PANTELLINI, Sororis professae Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis (*AAS* XXXVII [28 feb. 1945] p. 55-57).

*In sect. liturgica:*

*Urbis et Orbis.* Decretum 4 maii 1944, quo promulgatur decretum Ssmi D. N. Pii Pp. XII de festo Immaculati Cordis B. Mariae Virginis quotannis die 22 augusti ab universa Ecclesia celebrando, eiusdemque festi officium et missa propria editur (*AAS* XXXVII [28 feb. 1945] p. 44-52).

## 8 - S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus

Decretum 8 dec. 1944, quo facultas theologica in Pontificio seminario metropolitano Bonaërensi erigitur (*AAS* XXXVII [28 feb. 1945] p. 57-58).

## 9 - Provisiones ecclesiarum

*Decretis S. C. Consistorialis praefecti sunt:*

1 martii 1944, Exc. P. D. EUGENIUS BAZIAK tit. archiepiscopali ecclesiae Parianae; qui constituitur coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. BOLESLAI TWARDOWSKI, archiepiscopi Leopoliensis Latinorum.

6 ian. 1945, Exc. P. D. DONALDUS CAMPBELL hactenus episcopus Ergadiensis et Insularum, archiepiscopali ecclesiae Glasguensi.

13 ian. 1945, Exc. P. D. HERNANDUS FRIAS HURTADO, hactenus episcopus S. Caroli Ancudiae, cathedrali ecclesiae Antofagastensi.

18 ian. 1945, Exc. P. D. CONSTANTINUS STELLA, hactenus episcopus tit. Nilopolitanus, cathedrali ecclesiae Nucerinae et Tadinensi.

18 ian. 1945, R. P. GILLA VINCENTIUS GREMIGNI, e Missionariis a S. Corde, cathedrali ecclesiae Aprutinae seu Theramensi.

22 ian. 1945, Exc. P. D. Demetrius Moscato, hactenus episcopus S. Marci et Bisinianensis, metropolitanae ecclesiae Salernitanae, cui adnexa est administratio perpetua dioecesis Acernensis.

22 ian. 1945, R. D. Dominicus Brizi, cathedralibus ecclesiis Auximanae et Cingulanae, perpetuo unitis.

22 ian. 1945, R. D. Henricus Nicodemus, cathedrali ecclesiae Miletensi.

*Decreto S. C. pro Ecclesia Orientali praefectus est*:

25 nov. 1939, R. D. Iosephus Slipyj, tit archiepiscopali ecclesiae Serrensi; qui constitutus est coadiutor cum iure successionis Excmi P. D. Metropolitae Archiepiscopi Leopolensis Ruthenorum.

*Decretis S. C. de Propaganda Fide constituti sunt*:

4 sept. 1944, R. P. Gaspar a Pinilla (Angelus Turrado Moreno), Ord. Minor. Capuccin., vicarius apostolicus de Machiques.

9. nov. 1944, R. D. Iosephus Yuen, e clero Sinensi, vicarius apostolicus de Chumatien.

14 dec. 1944, R. D. Richardus Cleire, Soc. Miss. Africae, vicarius apostolicus de Kivu.

15 dec. 1944, R. P. Vincentius a Guadasmar (Vincentius Roig Villalba), Ord. Minor. Capuccin., vicarius apostolicus de Goajira.

## 10 - Necrologium

27 ian. 1944, R. D. Thomas Spreiter, vicarius apostolicus de Eshowe.

19 mai. 1944, R. D. Paulus Jacuzio, archiepiscopus Surrentinus.

28 oct. 1944, R. D. Ludovicus Calza, vicarius apostolicus de Chengchow.

4 dec. 1944, R. D. Vincentius Priante, episcopus Corumbensis.

15 dec. 1944, R. D. Mauricius McAuliffe, episcopus Hartfordensis.

17 dec. 1944, R. D. Antonius Scarante, episcopus Faventinus.

20 dec. 1944, R. D. Aegidius de Boeck, vicarius apostolicus de Lisala.

13 ian. 1945, R. D. Marcus Ioannes della Pietrà, archiepiscopus Anconitanus.

17 ian. 1945, R. D. Pius Marcellus Bagnoli, episcopus Marsorum.

17 ian. 1945, R. D. Adrianus Devals, episcopus Malacensis.

31 ian. 1945, R. D. Leo Classe, vicarius apostolicus de Ruanda.

22 feb. 1945, R. D. Marius Besson, episcopus Lausannensis, Genevensis et Friburgensis.

# NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

## I - E libris

S. Indelicato, *Le basi giuridiche del processo di beatificazione (Dottrina e Giurisprudenza intorno all'introduzione delle causae dei Servi di Dio)*, Romae, Officium Libri catholici, 1944, 175×230 mm., 122 pag.

L'istituto dell'introduzione nella sua storia e natura giuridica. I presupposti storici dell'introduzione. I presupposti giuridici dell'introduzione. L'introduzione delle cause speciali.

Stanislaus Lokuang, *De iure peregrino missionario in Sinis*, Romae, Officium Libri catholici, 1944, 175×230 mm., 168 pag.

Introductio. Ius peregrinum missionarium. Ius peregrinum missionarium in Sinis. De condicione iuridica missionum in Sinis. De statu civili missionariorum in Sinis. De iure familiae missionariorum in Sinis. Ius reale. Actus iuridici. Defensio iuris.

## II - E periodicis

*ANALECTA SACRI ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM*, LII (1944), fasc. 4-6 (iul.-dec.) — Revmi P. Fr. Martini Stanislai Gillet, Universi Ordinis Fratrum Praedicatorum Magistri Generalis, *Litterae encyclicae de praedicatione dominicana hisce temporibus habenda*, p. 264-307.

# DISSERTATIONES
## ET QUAESITA VARIA

## DE MENDACIO

### TERTIA PARS — DE EXECUTIONE MENDACII *

#### Prolegomenon

I. *Obiectum tertiae partis.*

*De immanenti operatione mendacii.*

139. Duplex datur analysis locutionis, altera essentialis, altera organica.

Analysis essentialis distinguit elementa abstracta quibus constituitur *species* locutionis. Analysis organica, quam iam inchoamus, distinguit partes concretas *executionis* seu corporis locutionis. Mendacium enim est vitiosum non solum in *forma* sua specifica, id est in ratione perfida fallendi, sed et in *organismo* suo, propter vitium *expressionis* intrinsecum confectioni suae (n. 91).

Agentes autem de specie mendacii consideravimus mendacium ex parte *effectus* quem extra se producere natum est, videlicet tamquam actum *transeuntem* (ποίησις) et operationem naturalem ad extra, utpote productivam erroris; et ex illa parte desumpsimus inordinationem *formalem* mendacii; error enim auditoris est id quod per se

* Cfr. *Periodica*, tom. 32, pp. 5-58; 123-171; tom. 33, pp. 5-60.

procuratur mentiendo, seu objectum proprium mendacii. Nunc vero introspicienda venit ipsa mendacii *productio*, actus *immanens* (πρᾶξις) mentalis (n. 49, 98) per quem locutio fallax ad executionem deducitur. Haec deformitas psychologica in illo qui verbum profert mendacii constituit inordinationem *fundamentalem*, seu dispositivam mendacii; quae se habet ad inordinationem formalem seu determinantem, sicut effractio domus se habet ad ipsius direptionem; nemo enim mentitur absque eo quod in ipso perpetretur dolosa aliqua machinatio mentalis, quae « *materiam* indebitam » illam constituit, *super quam* indeclinabiliter cadat oportet mentientis voluntas (n. 7). Quae quidem fundamentalis pravitas mendacii et ipsa determinanda venit secundum genus suum et speciem, nec non discriminanda in occursu suo (n. 48).

Hucusque examinavimus inordinationem mendacii in linea ethicae *socialis*, ex parte illius *ad quem* fit communicatio humanae locutionis, *auditoris* scilicet, qui per mendacium inducitur in errorem, attendentes regulam obiectivam *fidelitatis* in conversando, quam necessario violat ille qui fidentem qua talem decipit. Nunc mendacium exploramus in linea ethicae *personalis*, ex parte illius *qui* ad alterum communicat, *subiecti* scilicet mentientis, attendentes regulam subiectivam *sinceritatis*, quam necessario infringit ille qui scienter falsum verbum profert exterius. Ex fidelitate quippe (*truth*) et ex sinceritate (ἀλήθεια) constituitur veracitas.

Inde est quod argumenta malitiae mendacii distribuuntur in obiectiva et subiectiva; quae sane singillatim sumpta tamquam incompleta habenda sunt, et defectuosas theorias mendacii constituere nata sunt, quandocumque partialis mendacii inordinatio, ut fieri solet, extenditur ad integram mendacii malitiam explicandam. Respectus isti intrinseci veracitatis sunt concrete indissociabiles, sicut et respectus obiectivus et subiectivus in locutione, quae terminatur et ad notitiae communicationem (obj. formale) et ad mentis manifestationem (obj. materiale). Immo

veritas ipsa duplicem aspectum habet; siquidem verum absolute signat communicabilitatem in ente; nihil autem perfecte communicabile est, nisi proprium mentis [311].

Hanc utramque mendacii pravitatem satis distincte hocce modo proponit Laymann:

« Considerandum est hoc loco, quandoquidem humano generi nihil magis naturale et commodum est, quam ut inter ipsos charitas, fides et societas consistat, consequens esse, quod vitium illud, quo mutua inter homines *societas*, fides et charitas *violatur*, valde noxium et abominabile videri debeat; haec autem est *animi duplicitas* propria hominum non bonorum ac prudentium, sed callidorum, perversorum, qui sua tantum commoda sectantur, non quae Dei sunt, aut Reipublicae » [312].

*De simulatione in genere.*

140. In aprico quidem est quod simulatio partem exercet in omni mendacio. Nemo quippe mentitur quin simu-

---

[311] D. Baumgartner, articulo « Wahrhaftigkeit », in GUNKEL-ZSCHARNACK, *Die Religion in Gesch. und Gegenwart*, Tübingen, 1931, vol. 5, col. 1735, perperam insimulat S. Paulum praetermisisse respectum personalem veracitatis, uniceque attendisse respectui sociali in *Eph.*, 4, 25: « Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: *quoniam sumus invicem membra* ». Omissis enim iis quae alibi profert Apostolus de sinceritate (e. g. *I Cor.*, 5, 8; *II Cor.*, 1, 12; 2. 17), abscinditur passus ex contextu immediato versiculi 24 « et induite *novum hominem*, qui secundum Deum creatus est in iustitia et *sanctitate veritatis* », ubi ratio personalis absoluta veracitatis, si unquam, clare proponitur. Notandum vero est quod duo motiva distincta in passu assignantur respective singillatim duabus rebus distinctis, prout patet ex duplici particula *propter quod*, et *quoniam*. Primum motivum respicit exclusionem mendacii: *propter quod deponentes mendacium*, et motivum est perfectio hominis renovati in se sumpti. Alterum motivum respicit totam particulam *loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo*, i. e. non directe veritatem, sed debitum *fraternae communicationis in veritate* ad mutuam aedificationem; quod eo magis patet quod integra particula *loquimini... proximo suo* est citatio Prophetae (*Zach.*, 8, 16), ideoque per modum unius accipienda; hanc autem respicit motivum *quoniam sumus invicem membra*. Igitur Apostolus mira exactitudine contulit motivum personale et sociale veracitatis, ad neutrum defectum theoricum declinando, et vitam christianam integram recapitulando secundum divinae cuiusdam veracitatis officium. Cfr. n. 5, et S. AUGUSTINUM, *Contra mendacium*, cap. 6, n. 15.

[312] *Theologia moralis*, lib. 4, tr. 3, c. 13, n. 12.

let saltem veracitatem. Cum autem in hac parte de simulatione plurimum praecipueque sit agendum, rationem eius ab exordio accurate determinare convenit.

Simulatio in se sumpta, nedum essentialiter idem sit ac mendacium, e contra ad genus usque ab ipso distinguitur. Differentia enim mendacii et simulationis non in eo reponenda est, quod mendacium utatur *signis* verborum ad fallendum, simulatio vero item *signis* uteretur, sed signis *factorum*[313]; non enim minus proprie mentiris si falsum nutu capitis aut motu manus, i. e. facto quodam, indices, quam si falsum voce formules.

Nemo autem falsum responsum nutu capitis prolatum attente considerans simulationem appellabit, sed purum mendacium. Differentia generica simulationis a mendacio in eo consistit quod simulatio *non signis* utitur ad fallendum, sed *naturalibus expressionibus*. Inter signum vero et expressionem immensa prostat differentia operationis intellectualis et operationis per se naturalis; signum quippe proprie dictum manifestat *aliud* a se; expressio vero est ipsius rei manifestatio *sui*[314]; quod quidem saepius obliviscuntur illi qui ingeniose nimis extollunt « sermonem » brutorum, obviam interim diversitatem inepte praetermittentes[315]. Simulatio non est locutio falsa, sicut mendacium,

---

[313] *Summ. theol.*, 2a-2ae, q. 111, a. 1.

[314] Signa quae dicuntur « naturalia », e. g. « vultus irati vel tristis » (*De doctrina christiana*, lib. 2, c. 1), sunt signa per accidens, non per se; per se enim vultus irati non exprimit « aliud a se », sed est *pars* motus irae; ira autem integre sumpta est manifestatio seu expressio aliqua animi percipientis malum; cum autem ira sit *passio* quaedam, non invenitur sine corporali commotione. Expressio fit *signum* in quantum pars corporalis passionis a sensibili seu mentali eius parte separari quadantenus potest, ideoque altera indicium fieri alterius secundum inductionem percipientis, sicut quidditas ex manifestatione *sua* sensibili intelligitur.

[315] Etiam dum thesim assimilationis brutorum et hominum sollerter evolvit, ipsis verbis prodit Lucretius differentiam praetermissam:

> Postremo quid in hac mirabile tantoperest re,
> si *genus humanum*, cui vox et lingua vigeret,
> pro vario sensu varia *res* voce *notaret*?

qualicumque organo productum, sed *expressio* falsa. Gestibus utitur, immo et vocibus, non tamen tamquam signis indicativis, sed proprie tamquam manifestationibus subiecti, sicut ille qui dolorem, quem non patitur, non solum affirmat, sed clamoribus ostendere effingereque contendit. In quantum gemit et ululat, dolorem aperit, non asserit. Fallit per fictam realem expressionem rei inexistentis, non per verbum velut obiecti intellectualiter praesentis.

Concedendum utique est S. Thomae quod non refert « utrum aliquis mentiatur verbo vel quocumque alio facto » [316]; sed refert, et plurimum quidem, utrum aliquis exerceat fallaciam per signum aut per expressionem; etenim, ut de solo momento morali agamus, ille qui per fictam expressionem subiecti simulantis fallitur, non fallitur *ob fidem* quam habet simulanti, sed *ob inductionem* naturalem vel rationalem quam facit realitatis absconditae ex apparentia correspondenti. Mentiri potes solis hominibus; simulare vero et ipsis brutis, sicut domitor, qui, vinculo ad tergum absconso, amico vultu propinquat equulo, herbam altera manu porrigendo.

Essentialis huius differentiae inter mendacium et simulationem perspicue gnarus est puer, qui ratus parentes non fore credituros, si dixerit « Patior », ad gemitus invalescentes et lacrymas copiosas recurrit; supputat enim naturalem expressionem praevalere intentionali significationi ad effectum diffidentes parentes convincendi [317].

---

cum *pecudes* mutae, cum denique saecla ferarum
dissimilis soleant voces variasque ciere,
cum *metus aut dolor* est, et cum iam *gaudia gliscunt*. (*De rerum natura*, V, 1056 ss; cfr. 1028-32; 1087-90) Eodem modo MONTAIGNE, in *Essais*, lib. 2, cap. 12.

316 Ibidem.

317 Mendacium saepius *admiscetur* simulationi. Ille enim qui per simulationem fallitur, ut plurimum inducitur ad falsam inductionem faciendam, quia *supponit genuinam* esse expressionem, utpote simulatorem habens ut personam *honestam*, vel saltem ut incapacem hic et nunc simulandi tali modo. Attamen simulatio ita perfecta sibique sufficiens esse potest, ut observatorem etiam valde diffidentem fallat, quippe qui iudicet perso-

141. Simulatio igitur qua talis distincta est a mendacio; et in mendacio quoque distincta est a *deceptione*. Sicut enim in analysi violentiae latrocinii duo actus concreti, penitusque distincti, seiunctim considerandi veniunt, direptio videlicet bonorum, et agressio possessoris, ita et in analysi perfidiae mendacii duo actus item concreti, penitus distincti, deceptio videlicet et simulatio, seiunctim considerandi sunt, licet simulatio ad deceptionem ordinetur, sicut agressio ad direptionem, utraque vero operatio per modum unius et in eodem ictu actionis a mentiente exerceantur. (n. 107-109).

## II. *Divisio tertiae partis.*

### *Distinctio simulationis et fictionis.*

142. Distinguitur autem simulatio a fictione, sicut species a genere. Fictio quippe intelligitur producta apparentia falsa *cuiuslibet rei*, etiam materialis; fingi enim dicuntur non solum sensus, dotes et dispositiones animi, sed et actiones externae et res materiales.

Simulatio e contra, saltem si praecipuum usum verbi attendas, dicitur fictio *personae*, sive directa, sive indirecta, sicut cum 'lacrymae' simulari dicuntur. Simulatio est in linea *hypocrisis*, ad quam se habet sicut genus ad speciem; hypocrisis enim est simulatio personae *virtuosae;* simulatio e contra se extendit ad quoscumque aspectus personae, etiam malos aut moraliter indifferentes.

« Manifestum est autem hypocritas non quod oculis praetendunt hominum, id etiam corde gestare. Sunt enim hypocritae simulatores, *tamquam pronuntiatores personarum alienarum*, sicut in theatricis fabulis... Sic in Ecclesia, vel in omni vita humana, quisquis se vult videri quod non est, hypocrita est. *Simulat enim iustum, non exhibet;* quia totum fructum in laude hominum ponit, quam possunt etiam simulantes percipere, dum

---

nam, quantumcumque fide indignam, non esse capacem huiusmodi expressionem effingere. In quo casu puram simulationem habemus. Quo autem magis simulatio supponit praesumptionem honestatis ad effectum suum obtinendum, eo magis accedit ad rationem mendacii. Specie nihilominus, etiam tunc, a mendacio differt, in quantum per se non profitetur fidelitatem, nec ipsa fide utitur ad simulandum.

fallunt eos, quibus videntur boni, ab eisque laudantur. Sed tales ab inspectore cordis Deo mercedem non accipiunt, nisi fallaciae supplicium »[318].

Simulatio proinde stricte dicta est *fictio subiecti fingentis*, maximeque animi eius proprii. Res patet ex lexicorum exemplis, in quibus simulari dicuntur e. g. constantia, amor, vesania, reverentia, scientia, gaudium, sanitas, etc.[319].

Haec distinctio introducitur, quia locutio, in quantum est manifestatio quaedam, habet *duplex obiectum*. Manifestat enim in recto *sententiam* loquentis, et in obliquo eius *honestatem*. Mendacium autem continet falsam manifestationem utriusque obiecti; igitur, prout profert falsam mentis sententiam, quae est *res* quaedam (quantumcumque intime pertineat ad loquentem), mendacium continet *fictionem;* prout autem falso praetendit loquentis *honestatem*, mendacium continet *simulationem*. Fictio autem est inordinatio in ordine *naturae* tantum, simulatio vero in ordine *moris* (n. 26), prout ostendetur; unde necessitas distinctae tractationis et duplicis sectionis.

*De astutia.*

143. At sicuti in priori parte consideratio erroris mer-

---

318 S. Augustinus, *De sermone Domini*, lib. 2, n. 5.

319 Cfr. Forcellini. Litem tamen de verbo non facimus, sed de rebus per verba; nec displicere poterit, si aliquis usum proprium verbi 'simulatio' ulterius extendere voluerit. Litem e contra libenter moveremus adversus etymologiam quae simulationem a 'similitudine' repetit (Ernout-Meillet, o. c., 'similis'). Simulatio enim et similitudo in aequali cognatione distinctae lineae derivari potius videntur a communi generali stipite radicali 'sim' - ἁμα. Ratio autem intima simulationis melius perspicitur ex collatione cum 'simultate', quae rationem domestici cuiusdam conflictus et aversionis praesefert. Inest enim simulationi ratio indebitae *duplicitatis* in eodem subiecto, prouti mox notabitur. « Dolus fraus est, simulatio est. Quando aliquis aliquid in corde tegit, et aliud loquitur, dolus est, et tamquam duo corda habet: unum quasi sinum cordis habet, ubi videt veritatem; et alterum sinum, ubi concipit mendacium. Et ut noveritis hunc esse dolum, dictum est in Psalmis, 'Labia dolosa'. Quid est, 'Labia dolosa'? Sequitur, 'In corde et corde locuti sunt mala. Quid est, 'In corde et corde', nisi 'duplici corde'? (S. Augustinus, *Tract. 7 in Io.*, n. 18).

sa est in consideratione fallaciae,-siquidem non error ipse, sed erroris productio intrat rationem mendacii; ita prima sectio huius partis non inscribetur de ipsa fictione, sed de *astutia,* seu de *usu* fictionis; cum enim fictio sit organum mendacii, non intrat ipsa directe rationem mendacii, sed usus eius, qui astutiam constituit. Diversa autem valde est ratio moralis fictionis et astutiae, prouti patebit.

Sectiones igitur assignentur *de astutia* et *de simulatione*[329].

## Sectio prima - De astutia

### § I. De fictione

I. *De falsitate fictionis.*

144. Distinximus supra[321] cum S. Thoma nonnullisque aliis magistris fallaciam obiectivam, i. e. « prout est in eo qui fallitur », et fallaciam subiectivam, i. e. « prout est in ipso fallente », quam et *falsitatem* simpliciter appellavimus (n. 52), consciam nempe falsitatem enuntiati in se sumptam.

Haec nunc consideranda venit, quia partem habet in confectione mendacii: nemo enim mentitur, qui non sit conscius se falsum exprimere, seu falsitatem machinari[322].

---

[320] Peculiarem sectionem de dolo instituere non habemus. Dolus enim in genere definitur calliditas seu machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum proximum. Stricte et proprie dolus est artificium decipiendi (Cfr. *Thesaurum linguae latinae*). In mendacio autem dolus nihil aliud est quam usus simulationis prout ordinatur ad perfidam deceptionem. Notio doli in mendacio est *recapitulativa descriptio,* complectens partem subiectivam et obiectivam mendacii, quin ullam sui generis rationem addat super perfidiam intentam usumque simulationis ad decipiendum; gestus nempe proprius fidelitatis, id est locutio, assumitur ad simulationem huius fidelitatis in actu, ut decipiatur credulus auditor. Unde est quod Apostolus, ut Christi probitatem ex eius veracitate consummata commendaret, testificatus est: « Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius »; dolum pro mendacio proponendo. (I Pet., 2, 22) Cfr. Apoc., 14, 5, etc.

[321] Cfr. notas 140 et 141.

[322] « Facit certe contra aliquod verum ... qui dicit aliquid ita esse vel non ita, quod ei nec mens nec sensus nec opinatio sua fidesve renuntiat ». (*De mend.,* n. 19).

Recolligendum igitur est quod praeter veritatem « cognitionis », et veritatem « existentiae », consideranda etiam proponitur veritas « manifestationis ». Veritas cognitionis quidem, quae etiam dicitur veritas *formalis*, seu « in cognoscendo », « datur secundum commensurationem eius quod est in intellectu ad id quod est in re »[323]. Veritas existentiae seu « rei », quae etiam dicitur veritas *transcendentalis*, seu « in essendo », datur secundum quod supradicta veritas formalis « habet fundamentum in re »[324], propter metaphysicam uniuscuiusque rei proprietatem. At praeter hanc rei transcendentalem veritatem, attendenda etiam est uniuscuiusque rei veritas *praedicamentalis*, i. e. veritas *manifestationis*, secundum quam « res dicitur vera, quae nata est de se facere veram apprehensionem quantum ad ea quae apparent exterius in ipsa; et similiter dicitur falsa res quae nata est facere, quantum ad id quod apparet exterius de ipsa, falsam apprehensionem, sicut aurichalcum dicitur aurum falsum ». Et hoc sensu « homo dicitur falsus, qui dictis vel factis ostendit de se aliud quam sit; et per oppositum intelligitur veritas, quae est virtus in dictis et factis consistens »[325].

Quodsi haec apparentiae falsitas ex intentione producatur, *fictionem* habemus.

Verbum 'fictio' ab imagine figuli desumi videtur[326], et suggerit productionem in quantum opponitur *generationi* reali. Unde sicut *genuinum* supponit pro vero praedicamentali, ita et *fictum* pro falso praedicamentali, i. e. pro apparentia inepta, cui nempe non respondet correlativum substratum essentiale.

Eadem igitur enuntiatio falsa, i. e. rei (secundum mentem loquentis) inexistentis, est *fallax*, in quantum nata est

---

[323] S. Thomas, *In 4 Sent.*, d. 19, q. 5, a. 1. - [324] Ibidem.
[325] Ibidem.
[326] Cfr. parallelas correlationes obvias - si non certo etymologicas, saltem populares -, inter 'factum' et 'fictum', 'faber' et 'fabula', etc; item duplicem sensum verborum 'artificium' πλάσμα, 'to forge', etc.

inducere errorem, et *ficta*, in quantum non est genuina proles seu manifestatio mentis, sed apparens tantum.

145. Cum fictio sit operatio *immanens*, i. e. in seipsa terminata, secundum se, perinde ac visio et similia, non oportet in ea distinguere causam et effectum seu obiectum, sicut supra distinximus fallaciam et errorem. Fictum enim in actu per se est fingens in actu. Idem igitur verbum 'fictio', sive active sive passive sumatur, designat tum productionem falsae manifestationis, tum productam falsam manifestationem. Fictio activa et passiva nonnisi per accidens distinguuntur, e. g. quando significatio falsa duraturis signis materialibus consignatur, sicut mendacium scripto exaratum, quod cessante scriptione permanet [327]; ubi in ratione manifestationis ipsius distinguuntur 'fieri' et 'factum esse' fictionis, potius quam causa et effectus. Non igitur distinguendum habemus inter causam et effectum fictionis, sed absolute considerare *voluntatem* fictionis, quatenus de inordinatione veniat inculpanda.

## II. *De fictione materiali.*

### 1) *Distinctio fictionis materialis et formalis.*

146. Ad praecavendas plurimas perplexitates in conversatione occurrentes imprimis attendenda est distinctio fictionis *materialis* a fictione *formali*, quae quidem sola constituit fictionem *proprie dictam*, ad constitutionem mendacii requisitam.

Fictio *materialis* in universum est expressio rei vel personae [328] irrealis in actione quae nec est nec intenditur ut *manifestatio* talis rei vel personae. Fictio *formalis* e contra est illa quae occurrit in actione quae proprie *intenditur ut manifestatio*.

---

[327] « Quia verberato aere statim transeunt (verba), nec diutius manent quam sonant, instituta sunt per litteras signa verborum. Ita voces oculis ostenduntur, non per seipsas, sed per signa quaedam sua ». (S. AUGUSTINUS, *De doctrina christiana*, lib. 2, cap. 4).

[328] Ea enim quae de fictione hic in genere dicuntur, valent de specie eius, nempe de simulatione.

2) *Indifferentia fictionis materialis.*

147. Fictio intelligitur 'materialis' secundum quod, cum *apparentia* ipsa non sit nihil, potest, secundum quod est *res* quaedam, fieri medium aptum ad finem aliquem, sive bonum sive malum, consequendum, prout accidit in omni usu figurae aut signi qua talis [329]; quae quidem non est fictio, cum manifestet se tamquam figuram, ideoque sicuti est. Ex eo igitur quod non adhibetur res ut manifestatio non entis, nulla iam est oppositio veritati; sicut cum fabula profertur aperte tamquam fabula, non ut narratio historica. Ad rem S. Thomas: «Non oportet ut id, quod solet esse alicuius rei signum, sit falsum quando ei non respondet id quod solet significare, nisi tunc tantum quando ad significandum illud adhibetur» [330].

Inter fictiones evidenter materiales recensentur illae quae producuntur ex condicto, sicut fictiones omnigeneris in litteris et artibus occurrentes [331]. Illae fictiones nihil aliud sunt quam elaboratio figurae. *Res* in illis est vel ipsa realis figura, si intenditur recreatio sensibilis, sicut arbores pictae in pariete coenaculi; vel doctrina per suggestionem typice prolata, si agitur instructio discipuli: «ubi significatio verax aliud ex alio vult intelligi, quod genus figuratorum vel dictorum vel factorum abundat in propheticis litteris» [332]; vel ioca proprie dicta, «quae

---

329 Cfr. *De doctrina christiana*, lib. 1, c. 2.

330 *Verit.*, q. 23, a. 3, ad 2um.

331 Cfr. S. AUGUSTINUM, *Epist.* 180, n. 3.

332 *Contra mend.*, n. 35. Item:

«Quod scriptum est de Domino, 'Finxit se longius ire (Luc., 24, 28), non ad mendacium pertinet. Non enim omne quod fingimus mendacium est: sed quando id fingimus quod nihil significat, tunc est mendacium. Cum autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. Alioquin omnia quae a sapientibus et sanctis viris, vel etiam ab ipso Domino figurate dicta sunt, mendacia deputabuntur, quia secundum usitatum intellectum non subsistit veritas talibus dictis. Non enim homo qui habuit duos filios, quorum iunior, accepta parte patrimonii sui, profectus est in regionem longinquam, et cetera quae in illa narratione contexuntur, ita dicuntur tamquam vere fuerit quisquam homo qui hoc in filiis suis duobus aut passus sit aut fecerit. Ficta sunt ergo ista ad rem quamdam significandam, tam longe lateque maiorem, et tam incomparabiliter differentem, ut per illum fictum hominem Deus verus intelligatur. Sicut autem dicta,

numquam sunt putata mendacia; habent enim evidentissimam ex pronuntiatione atque ipso iocantis affectu significationem animi nequaquam fallentis, etsi non vera enuntiantis: quo genere utrum sit utendum perfectis animis, alia quaestio est »[333].

Revera vix ulla excogitari potest actio humana externa quae non secumferat lusum aliquem circa rerum naturam. Immo naturae ipsius operatio velut lusus quidam materiae est surripientis sibi formam, ut aliquid esse videatur, donec corruptio veritatem restituerit inanitatis eius.

148. Occurrunt autem et in conversatione sociali plurimae huiusmodi materiales fictiones, quarum discriminatio, saltem speculativa, nonnunquam subtilior evadit; quia condictum solet esse magis absconditum aut implicitum, quam in visuali imagine.

Principes, e. g. dum « incognito », ut aiunt, iter faciunt, non intelliguntur mentiri vel fallaciam falsitatemve exercere ullo modo, quando fictum nomen subsignant, fictasque declarationes propriae identitatis proferunt. Casus eorum prorsus diversus existimatur ab illo viatorum qui cum illegalibus falsis documentis iter faciunt, ex quacumque ratione. Principes enim illi nec publicam fidem nec privatam violant. Caupones apud quos formalitates inscriptionis sub commodato nomine complent non decipiuntur, etiamsi illos non agnoverint; nec enim ad eos pertinet de personalibus momentis hospitum suorum quidquam inquirere, sed fidem documentorum simpliciter attendere. Neque violatur fides publica; auctoritas enim publica, implicite saltem, ratum habet hunc agendi modum. Immo, quando circumstanciae non suadent secretum effectivum, princeps potest, scientibus omnibus, commorari in aliquo loco sub ficto nomine. Nihil enim reapse agitur in hoc « incognito », nisi quod princeps non desiderat haberi ut princeps ex respectu diplomatico.

Quidquid sit de difficultate discriminandi et explicandi materialem fictionem, indicium eius certum deduci potest ex eo quod sensus moralis cordati viri ne minime quidem

---

ita etiam facta finguntur sine mendacio ad aliquam rem significandam ». S. AUGUSTINUS, *Quaestionum Evangeliorum*, lib. 2, cap. 51.

[333] *De mend.*, n. 2.

reprobationem experitur circa talem agendi modum pro quanto in eo fit usus ineptae apparentiae [334].

149. Hic autem magni refert observare quod cum manifestatio essentialiter intelligatur esse *ad aliquem*, locus fictioni formali ipso facto obiective deest, quandocumque ex circumstanciis satis clare per se patet sermonem non esse manifestativum, sed evasivum aliusve cuiuslibet generis. En, e. g., duo amici colloquentes observant tertium quem furtim propinquantem ad subaudiendum. Exhinc nictu facto fabulosa quaedam inter se commentari incipiunt. Quidquid dicendum aliunde forte sit de eorum modo agendi, non proprie finxerunt; nihil enim in hoc sibi mutuo manifestare intendebant; ad tertium autem minime loquebantur. Fictionem igitur materialem locutionis exercuerunt, licet tertio visum fuerit eos sibi mutuo asserere ea quae fabulabantur [335].

Quae quidem ratio agendi eo magis nonnunquam practice saltem commendabilis videri potest, quod silentium ipsum quandoque sit manifestativum, vel ut manifestativum haberi possit, aeque ac aperta proditio. Sermocinatio igitur tunc rationem quandam induit nebulae abscondentis.

Idem a fortiori dicendum de responsionibus, praesertim triti generis, ad quaestiones clare indiscretas; uti cum nosocomus sciscitantibus uniformiter respondet aegrotum bene proficere. In hoc enim nihil aliud facit nisi urbaniter et efficaciter responsum denegare, prouti ex officio tenetur.

Compertum sane habemus quod haec doctrina, non minus quam optima quaevis subtilis doctrina, abusibus subiacet; transitus enim facilis est ad formalem fictionem; astutia vero, teste S. Thoma, communior via est mali per-

---

[334] Ad idem genus refertur ironia socratica: « Dulcem et facetum festivique sermonis atque in omni oratione simulatorem, quem εἴρωνα Graeci nominaverunt, Socratem accepimus ». (Cicero, *De officiis*, lib. 1, cap. 30, n. 108).

[335] Quodsi fictam conversationem intendissent ad falsa suggerenda subaudienti, non tantum fallaciam in hoc exercuissent, sed et pro tanto fictionem formalem.

petrandi [336]; exinde tamen non est cur reticeatur, et sensus moralis honestus in subtilioribus discriminibus conversationis non illuminetur: « Neque enim viventes in rebus humanis migrare possumus a rebus humanis. Cum tolerantia vivendum est nobis inter malos... » [337]. « Sunt etiam qui propterea vel non orant, vel frigide orant, quoniam Domino dicente didicerunt, scire Deum quid nobis necessarium sit, priusquam petamus ab eo. Num propter tales huius sententiae veritas deserenda, aut ex evangelio delenda putabitur? » [338].

3) *De 'astutia bona'.*

150. Quandocumque fictiones istae materiales sunt prorsus ordinatae, recursus ad ipsas decenter moderatus non tam in se exhibet nisi « malitiam » aequivocam, seu materialem, callidae cuiusdam sollertiae, constituitque « astutiam bonam », quae dicitur [339]; siquidem licet astutia « usitatius in malitiosis intelligi et vocari solet », Scriptura « saepe astutiam in bono ponit: unde 'Estote astuti sicut serpentes'; et illud 'ut innocentibus det astutiam': immo romanae linguae disertissimus [340] (dixit), 'Neque illi tamen ad cavendum dolus aut astutia deerant', astutiam ponens in bono; sed apud illos rarissimum, apud nostros frequentissimum est » [341].

Ad perfectionem quippe discretionis christianae, qua sine querela et sine reprehensione conversari conamur in medio nationis pravae et perversae, necessariae sunt cautiones materialesque fictiones, quarum exemplum exhibitum a Domino invenimus, e. g., dum respondendo ad insidiosum quaesitum de censu tribuendo Caesari, interrogat de denario, quasi fingens se ignorare significationem rationemque

---

336 Cfr. *Sum. theol.*, 2a-2ae, q. 55, a. 4, ad 3m.
337 S. Augustinus, *Enarr. in Ps.* 50, n. 24.
338 *De dono perseverantiae*, n. 39.
339 Cfr. *Sum. theol.*, 2a-2ae, q. 55, a. 3, ad 1m.
340 Sallustius, *De bello Catilin.*
341 S. Augustinus, Epist. 167, n. 6.

inscriptionis, nimiamque simulans simplicitatem. Nemini tamen circumstantium occurrit Dominum in hoc manifestare voluisse sive realem sive fictam ignorantiam; modicum illud materialis astutiae nihil aliud fuit quam discreta ironica suavitas in docendo protervos etiam homines celestem vitae disciplinam [342].

Nihil igitur alienum ab evangelica doctrina proponebat sancta Theresia dum necessitatem « malitiae » cuiusdam in certis discriminibus suadebat: « Bien nos enseña Dios el poco caso que hemos de hacer de las criaturas, por buenas que sean, y cómo hemos menester tener malicia, y no tanta llaneza . . . » [343]. Re enim vera de ipso Deo cantatur in Psalmo (17, 27): « Et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris », i. e., ut exacte interpretatur J. Calès: « cum perverso tortuosus » [344].

---

[342] Nullam fictionem exercuit Salvator ad hoc ut putaretur filius Ioseph, sed non impedivit falsam illationem fieri a propinquis consequenter ad debitum conceptionis suae secretum.

[343] Epist. ad P. J. Gracián, Avila, Avril 1579. *Obras*, t. VIII, p. 300. — Cfr. Act., 23, 6-7. — Prorsus approbatur astutia bona Timothei presbyteri, in vita sancti Athanasii, utpote in lectionibus Officii sancti Doctoris recepta: « Nam coacto ad Tyrum concilio magna ex parte Arianorum episcoporum, subornarunt mulierculam quae accusaret Athanasium, quod hospitio acceptus sibi stuprum per vim intulisset. Introductus igitur est Athanasius, et una cum eo Timotheus presbyter; qui simulans se esse Athanasium, Ego ne, inquit, mulier, apud te sum diversatus? ego te violavi? Cui illa petulanter: Tu mihi vim attulisti; idque iureiurando affirmans, iudicum fidem obtestabatur, ut tantum flagitium vindicarent. Qua cognita fraude, reiecta est mulieris impudentia ». (Lectio IV).

[344] « Avec l'homme pervers, tu uses de détours ». *Le Livre des Psaumes*, vol. 1, p. 218. (Paris, 1936). Quattuor correlationes actionis divinae ad humanam ponuntur in vv. 26 et 27; in tribus primis eadem radix verbalis adhibetur de utraque actione: חֶסֶד (*pietas*), תָּמִם (*integritas*), בָּרַר (*puritas*). In quarta vero ratio « perversitatis » duplici radice exhibetur עִקֵּשׁ et פָּתַל, quae quidem affines sunt, uti patet ex Deut. 32, 5 et Prov. 8, 8. Altera autem, פָּתַל, non designat rationem intrinsece malam agendi, uti patet ex Gen. 30, 8, ubi Rachel « machinationem » suam, felici successu coronatam, ipsi Deo in laudem tribuit. Ex cluditur proinde a divina ratione agendi cum perverso homine omnis pravitas moralis; et ideo actio illa sub conceptu *generico* prudentiae continetur, et pro tanto correcta est nova versio Instituti Biblici: « erga versutum te praebes *prudentem* » (p. 27; Romae, 1945); diffiteri tamen posse non videtur quod ratio

III. *De fictione formali.*

1) *De reatu formalis fictionis in genere.*

151. Magis autem attendere habemus fictionem formalem, illam nempe quae occurrit in actione proprie manifestativa. Haec enim est quae requiritur ad conficiendam assertionem falsam. Fictio formalis non iam est elaboratio simplicis figurae, sed *figmenti*, i. e. illusionis proprie dictae in expressione falsi formaliter talis. Haec est fictio quam in quolibet suo gradu sentimus ut actum quadantenus saltem inordinatum [345].

Inordinatio essentialis fictioni proprie dictae intelligitur secundum veritatem illam praedicamentalem, de qua superius egimus (n. 144), quae addit supra essentiam ordinem ad cognitionem vel demonstrationem alicuius [346] id est ad praedicamentum actionis. Inordinatio enim aliqua intrinseca est omni falsitati manifestationis, praeter quamlibet considerationem damni vel erroris virtualiter annexi tali falsitati.

Haec autem inordinatio potest esse diversi momenti. Etenim res omnis, pro elevatione gradus sui ontologici, splendida est seu nobilis, i. e. apta et digna quae agnoscatur. Inordinatum igitur est quod habeatur ut cognoscibile id quod non est [347]; inordinatio autem haec eo strictior est,

---

פֶּתַל secumferat contortionem aliquam in agendo et materialem quandam duplicitatem. Ex dictis autem patet quomodo nihil pravi secumferat et in genere virtutis prudentiae contineatur. Quid enim magis typice tortuosum quam serpentis motus? Commendat autem Dominus, ut in medio luporum simplices simus sicut columbae, sed et prudentes sicut serpentes (Mat. 10. 16). Cfr. Gen., 3, 1; 2 Cor., 11, 13. - Cfr. S. THERESIAM, *Las Fundaciones*, cap. 8, n. 7. *Obras*, t. 5, p. 68.

[345] Differentia fictionis ipsius secundum quod effectuatur per verba vel per facta non est magni momenti. Reducitur enim, abstractione facta extrinsecae differentiae perfidiae, ad differentiam fictionis per simplicem expressionem, vel per expressionem figuratam. Notari potest cum sancto Thoma quod dolus principaliter fit per verba, et fraus per facta. Cfr. *Sum. theol.*, 2a-2ae, q. 55, a. 4 ad 4m & a. 5.

[346] *In* 1. *Sent.*, d. 19, q. 5, a. 1.

[347] Ratio originalis malitiae actus humani recte statuitur

quo res cuius existentia vane suggeritur, supponitur esse maioris bonitatis (n. 98). Unde moralis defectus *vanitatis* appropriatur complacentiae desumptae in fictionibus optimarum qualitatum et actionum; sive per ipsum subiectum, sive per assentatores fingantur. Hypocrisis autem eo magis vitiosa aestimatur quo quis altiores virtutes affectat, « sous le pompeux éclat d'une austère grimace ». (*Le Tartuffe*).

Necessarium quidem non est ad ordinem moralem quod bonum ab extrinseco agnoscatur; laus enim externa velut supererogatorium est ad intimam genuini boni complacentiam; unde est quod laudem suam externam Deus propter solum nostrum bonum desiderat, sed modestissimus ipse non complacet in laudibus nostris nisi sint in Ipso absconditae per intimam familiaritatem. Sed inordinatum est quod agnitio boni inepte seu vane fiat, sicut in idolatria; aufertur enim inde a vero bono illud quod ei debetur sancte seu exclusive. Fictio autem proprie dicta seu formalis nata est, mediante falsa seu deceptiva apparentia, provocare vanam huiusmodi agnitionem boni.

152. Hic autem ulterius distinguendum est inter fictionem rei *physicae* et fictionem rei *personalis*, i. e. ad hominem pertinentis.

Fictio formalis *rei physicae*, licet supradictam inordinationem generalem secumferat, remanet per se extra ordinem moralem, perinde ac corruptio rei physicae; siquidem ratio boni et mali proprie dicti non descendit infra considerationem entis rationalis, ut dictum est (n. 15). Sicut igitur corrumpi potest res physica pro quolibet rationabili motivo, ita et fingi potest. Inordinatio enim considerata in ente quod est *propter aliud* nihil habet in se absoluti, ideoque nec intrinseci mali.

Porro sicut vita hominis vix non integre transigitur in transmutandis rebus physicis, ita et in fingendis occupari potest ra-

---

apud ascetas in agnitione non-entis tamquam entis. Cfr. Athanasium, *Oratio contra Gentes*, n. 2 & 4; Diadochum Photicensem, *De perfectione*, cap. 3. Agitur utique iudicium aestimativum et amativum, ideoque morale secundum se. Creatura thesaurizata in corde tamquam esset 'qui est' maculat animam uti fuse docet S. Ioannes a Cruce.

tionabiliter, nisi vetare velis quominus coquus adhibitis condimentis commodatum saporem escis insipidis impertiat! Nihil interest ad ordinem moralem si quis pedicas tendat ad venandum; res ista prorsus indifferens in se est; interest autem per accidens, si hoc faciat cum periculo suo vel proximi. Item recursus ad physicas fictiones illicitus iudicari poterit si fiat ex affectu ad usum mediorum physice ineptorum, ut in superstitionibus: non propter rerum ipsarum abusum, sed propter irrationalitatem vani recursus.

Ex hoc respectu fatendum est quod assertio falsa non evadit per se inhonesta si consideretur in solo suo obiecto secundario, i. e. in fictione rei distinctae ab animo, circa quam, ut plurimum, versatur enuntiatio animi (n. 89), si res asserta fuerit mere physica, e. g. « Pluit ». Ad obiectum ergo primarium et universale assertionis attendendum est.

2) *De fictione actus hominis in mendacio.*

153. Fictio intrat per se moralem ordinem, saltem fundamentaliter, quandocumque exercetur circa actus aut bona *hominis*, e. g. circa valetudinem, vires, sensus, bona propria, etiam externa, etc. Exinde enim falsus valor exprimitur ad personam attinens, ideoque malum quoddam naturale, seu in genere naturae. (De fictione actuum habituumve formaliter *humanorum* agemus in sectione de simulatione).

Manifestum est autem quod huiusmodi fictio rei personalis inest mendacio secundum quod per ipsum exprimitur *falsa mentis sententia* (n. 86-87), necnon et falsus animus communicandi (n. 93-95). Sententia falsa est sententia *vacua* seu vana, apparens ineptum bonum. Exprimit sententiam ut loquentis propriam, cum non sit; manifestat illusoriam intellectus sui, practicaeque voluntatis, operationem; manifestat notionem donationemque irrealem. Et ideo ratio mendacii saepius ponitur ut *vanitas*[348].

---

[348] « Vana ratio est, quae ex falsa causa constat » (Cicero, *Rhetoricorum*, lib. 2, n. 35). Cfr. *Tusculanarum*, lib. 3, n. 2. *Pro Quintio*, n. 26: « Etenim si veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur, necesse est iste, qui amicum, socium, affinem, fama ac fortunis spoliare conatus est, vanum se

Fictio sententiae est inordinatio in ratione veritatis manifestationis, perinde ac error est inordinatio in ratione veritatis cognitionis (n. 144); utraque aequa lance cadit in ratione mali quod est in genere naturae (n. 22 & 61); et directa quaevis intentio sive sententiae fictae sive erroris est intrinsece inhonesta. Igitur fictio intrinseca mendacio [349] pro parte sua confert ad complexam eius pravitatem.

## § II. De astutia

An fictio semper *directe intenditur*, sive in mendacio, sive in assertione fallaci non mendaci?

### I. *De inhonestate intrinseca astutiae proprie dictae mendacii*

154. Ad astutiam pertinet « assumere vias non veras sed simulatas et apparentes ad aliquem finem prosequendum vel bonum vel malum » [350]. Astutia proinde secumfert intentionem *directam* fictionis in ratione *medii*, siquidem est *usus* fictionis [351]. Astutia non est tantummodo *causa* fictionis, sicut fallacia est causa erroris, ideoque praescindens a voluntate directa erroris, sed *usus* fictionis (n. 145).

Exinde non sequitur quamlibet astutiam esse inhonestam, siquidem, ut vidimus, consideranda est astutia materialis (n. 149), insuper et usus astutus fictionis rei mere physicae, quae

---

et perfidiosum et impium esse fateatur ». *Pro Roscio Amerino*, n. 117: « ...eius malitiam non viderunt; orationi vanae crediderunt ». *De amicitia*, n. 98: « Ego autem non de virtute nunc loquor, sed de virtutis opinione. Virtute enim ipsa non tam multi praediti esse, quam videri volunt. Hos delectat assentatio: his fictus ad ipsorum voluntatem sermo quum adhibetur, orationem illam vanam testimonium esse laudum suarum putant. Nulla est igitur haec amicitia, quum alter verum audire non vult, alter ad mentiendum paratus est ».

[349] Cfr. 2 *Pet.*, 2, 3: Pseudo-doctores « fictis verbis » utuntur.

[350] *Sum. theol.*, q. 55, a. 4.

[351] Ad astutiam proprie pertinet *excogitare* vias apparentes ad finem, ad dolum vero *assumere* tales vias secundum executionem. Dolus ergo pertinet ad astutiam complete sumptam. Cfr. *Sum. theol.*, q. 55, a. 4.

non est malum in se (n. 152); sicut si tecta officinarum viridi colore pingantur in bello ut ab aligeris hostium ratibus tamquam silvae pratave videantur. Usus huiusmodi fictionum potest esse rationalis; et constituit in ordine morali astutiam improprie dictam.

At fictio rei personalis, et praesertim fictio actus alicuius rationalis, est malum in se, prout ostensum est (n. 153). Unde sequitur quemcumque eius usum proprie dictum habendum esse tamquam inhonestum, cum contineat voluntatem directam mali ut medii. Et ideo fictio sententiae mentis et communicationis verbalis, quae pertinent ad assertionem falsam, nunquam adhiberi poterit tamquam medium proprie dictum.

Intrinsecum autem non est mendacio quod fictio intendatur *ut finis*, prout implicite demonstratum est in his quae dicta sunt de intentione fallaci (n. 53); sed intrinsecum est mendacio quod fictio sententiae intendatur *ut medium* fallaciae; aliis verbis, intrinseca est mendacio astutia formalis circa actum hominis fictum; et secundum hoc mendacium est actus circa indebitam materiam, ideoque moraliter inordinatum, etiam praescindendo ab aliis inordinationibus propriis actus mentiendi.

Quod autem dicitur de mendacio, primo aspectu saltem, pariter valere videtur *de assertione falsa etiam non perfida*, siquidem promptum est dicere quod in ea etiam astute adhibetur fictio sententiae. Ideoque ex hoc saltem capite concludendum videretur nullam assertionem falsam fieri posse honestam, exindeque ruere conclusionem secundae partis de possibilitate liciti sermonis falsi.

Fictio quidem, in se sumpta, perinde ac error, cum sit inordinatio particularis, suscipit per accidens reordinari obiective sub universalitate propria ordinis moralis; et consequenter indirecte intendi potest supradicta ratione [352]; sed idem dici nequit de *usu* fictionis, nec posset dici de *usu* erroris, propter *formalem* inordinationem directae inten-

[352] Cfr. n. 20 et 21. — « Habitus virtutum et vitiorum sortiuntur speciem ex eo quod est per se intentum, non autem ab eo quod est per accidens et praeter intentionem ». (Sum. theol., 2a-2ae, q. 109, a. 2, ad 2m).

tionis mali. Usus autem fictionis intrinsecus est astutiae formali.

II. *Discriminatio astutiae mendacii a dispensatione falsi sermonis non mendacis.*

155. Revera ex inhonestate intrinseca astutiae formalis nihil aliud concludi potest, nisi quod assertio falsa licita illis tantum casibus restringitur, in quibus necessaria practice est assertio falsa ut *sola ratio vitandi actum formaliter malum* assertioni veraci per accidens inhaerentem. In tali quippe casu non proprie verificatur *usus* fictionis, sed illa quae apud Patres graecos dicitur *dispensatio* eius [353].

*Dispensatio* (οἰκονομία) est ordinatio quaedam rationalis immediata per accidens actus physici inordinati, per quam *minus malum, qua minus* est, accipitur prae maiori malo, per modum *compensationis* cuiusdam.

Compensatio generatim intelligitur de actu defectuoso et praesertim de peccato, secundum quod in eius aestimatione ratio habetur comparationis meriti cum delicto, aut in eo committendo consultum est ut maius incommodum vitaretur (cfr. n. 37). Sic falsiloquium in casu operatum est ex dispensatione, i. e. consulto ad maius malum, vid. formale peccatum, vitandum. Falsiloquium «permutatum est» (ἀλλάττειν) pro peccato.

Hic non iam habes voluntatem illam mali, puta fictionis, quae propria est astutiae, sed meram voluntatem secundum quid, in voluntate simplici minuendi malum, ideoque voluntatem simpliciter *malo contrariam*, exindeque relative bonam (n. 31); immo non iam habemus in casu compensationem proprie dictam, sicut in subiectiva conscientiae perplexitate (n. 44-45), ubi comparatio fit inter duo peccata formalia; nam, saltem consequenter ad conscientiae formationem, ipsa fictio, in dispensatione, desinit esse

[353] Cfr. n. 34.

fictio formalis; expressio enim sententiae falsae tunc desinit esse per se actus manifestationis, sed modus quidam *dissimulationis* sententiae verae, cuius manifestatio esset malum formale; quae quidem dissimulatio per accidens secumfert expressionem falsi, prouti saepius occurrit. Non enim absconditur aliquid, quin aliud prae eodem exhibeatur: sicut qui thesaurum abscondit, penuriam exhibet irrealem [354].

156. Ex his patet quod dispensatio fictionis nullam mali moralis rationem, ne materialem quidem, praesefert ex ratione sua (cfr. n. 36); non tamen verificatur in assertione falsa nisi in ipsa simpliciter intendatur evitatio mali formaliter moralis; et ideo ex hac tantum ratione licita fieri potest assertio falsa.

Notandum insuper est quod non reapse eligitur « minus » malum, nisi nihil aliud eligendum occurrat praeter « maius » malum. Eligere enim minus malum, quando aliunde remanet eligere tertium quid simpliciter bonum, aut eligere minus malum prae minimo malo, est eligere malum simpliciter [355].

---

[354] Cfr. *Sum. theol.*, 2a-2ae, q. 110, a. 3, ad 4m — « Quamvis res, in quam fertur actus voluntatis, sit cum omnibus suis conditionibus, non tamen oportet quod quaelibet illarum conditionum quae inveniuntur in volito, sit ratio movens voluntatem; sicut vinum non movet appetitum bibentis ratione virtutis inebriandi quam habet, sed ratione dulcedinis: quamvis simul utrumque in eo inveniatur ». (*Verit.*, q. 23, a. 2, ad 2m).

[355] Item notandum est quod evitatio debet esse *immediata*, ne iterum fictio ut medium adhibeatur; sicut si quis neget actus virtutis ne tentationibus vanae gloriae succumbat. « Quid, quaeso, faciendum est, cum refectionem procrastinare disponentibus nobis, utrum refecerimus ad vesperam frater adveniens percunctatur? Celandumne ieiunium est, et virtus parcimoniae contegenda, an veritatis professione prodenda? Si celamus, ut dominico satisfaciamus imperio, quod dicitur, 'Non videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito'... profecto mentimur. Si virtutem continentiae propalamus, evangelica nos sententia iure percellit, 'Amen dico vobis, receperunt mercedem suam'. (CASSIANUS, Collatio 17, c. 21). Ex dictis patet ubi sit « minus malum » in casu. Confirmat autem S. GREGORIUS, explicans: « Qui enim, necessitate cogente, vera de se bona loquitur, tanto magis humilitati iungitur, quanto et veritati societur ».

Item « maius » malum per fictionis dispensationem vitandum debet esse malum *formalis peccati;* non enim sufficit malum maius in ordine naturae. Ratio namque malitiae moralis non tollitur si voluntas fertur in malum relative tantum minus in eodem ordine naturali; sicut si per astutiam fictionis formalis effeceris ut non duos sed unum denarium amittas; tunc enim aliquo modo voluntas fertur in malum qua tale [356]. E contra si malum minus intelligitur relativum seu physicum, prae maiori malo absoluto peccati, ut si fictionem verbalem usurpes tanquam sola ratio tibi hic et nunc possibilis non peccandi per indiscretam locutionem, iam nullatenus malum qua tale intendis; nec versaris, sicut in casu simplicis perplexitatis subiectivae (n. 44-45), in necessitate practica eligendi peccatum *formale;* quae quidem coactio moralis ad malum morale, ut vidimus, nequit locum habere iuridicum in ordine rerum; nemo unquam constringitur ad « minus peccatum » ex bona fide, nisi propter ignorantiam aut inadvertentiam, ex imperfecta prudentia. Immo vir *consummatae prudentiae* semper inveniet viam aliquam providendi necessariae evitationi veriloquii simul et silentii, non tantum absque peccato, sed absque eo quod recursus fiat licito falsiloquio.

Narratur in vita sancti Francisci Salesii [357], quomodo, ne ministerium animarum necessarium differre cogeretur, per urbem Genevensem transire decreverit, noluerit autem vestem episcopalem exuere, scissitanti vero custodi in urbis ingressu

---

(*Moralia,* lib. 26, c. 5). Utinam saepius discrimen simplicis iudicii necessitates apparentes dissiparet falsiloquii!

[356] « Nemo tamen potest dicere, hoc se aut in exemplo aut in verbo Scripturarum invenire, ut diligendum vel non odio habendum ullum mendacium videatur; sed interdum mentiendo faciendum esse quod oderis, ut quod amplius detestandum est devitetur. Sed in hoc errant homines, quod subdunt pretiosa vilioribus. Cum enim concesseris admittendum esse aliquod malum, ne aliud gravius admittatur; non ex regula veritatis, sed ex sua quisque cupiditate atque consuetudine metitur malum; et id putat gravius, quod ipse amplius exhorrescit, non quod amplius revera fugiendum est ». (*De mend.,* n. 38) Cfr. *Contra mend.,* n. 38. *Quaest. in Genesim,* II, 1; *in Levit.* III, 68.

[357] Cfr. Hamon, vol. 1, pp. 615 ss. Paris, 1856.

renuntiandum iusserit se esse « episcopum dioeceseos »; custos porro, confitendo se ignorare nominis huius regionem, eum introduxerit, et cetera omnia fauste admodum successerint in urbis transitu. In summo igitur certissimoque vitae discrimine ex integro illibatam servavit veracitatem, sive in sermone sive in habitu. Sed notandum est quomodo heroicus ille veracitatis actus in oratione, post maturam deliberationem, necnon sine peculiari ductu Spiritus Sancti decretus fuerit, divinaeque Providentiae assistentia ad felicem exitum deductus. Modus iste agendi sane conspicuus est seduloque meditandus: cui tamen nisi sancto, eoque summe sagaci, sine temeritate audendus, aut sine stultitia consulendus?

Nec pigeat repetere, ad omnem suspicionem laxismi dispellendam, quod licet aliquis in admittendo falsiloquio dispensativo non exercuerit actionem obiective illicitam, non tantum imperfecte prudentem sese existimare potest, sed pro fragilitate sua subiectiva praesumat oportet se indemnem non subisse peccati cuiusdam affectivi occasionem, ex imperfecto suo amore ad veritatem, ex quo non satis odio habuit coactum hoc falsiloquium.

Ex quo intelligitur laudabilis sollicitudo discrete tuendi materialem veritatem sententiae evasivae, ut vitetur, in quantum possibile est, falsus sermo, propter fictionem eidem intrinsecam, etiam quando responsio falsa moraliter necessaria est, nullatenusque, ex supposito, perfida aut fallax. (n. 83).

His dictis solutus videtur casus « compensativi peccati », distinguendo « compensans », et limites exinde assignando applicationi principii « compensationis », cuius vim, non tamen sine turbatione animi, agnovit S. Augustinus [358]. Astutia sermonis falsi per accidens reduci rarissime potest ad exercitium virtutis prudentiae, quamvis eidem per se materialiter opponatur, perinde ac hominis occisio — et ipsa materialiter opposita caritati per accidens reducibilis evadit ad virtutem caritatis.

---

[358] Cfr. *De mendacio*, c. 9, n. 20; c. 10, n. 23; c. 14, n. 30; c. 18, n. 36.

## Sectio secunda - De simulatione

### *1. De sinceritate loquentis.*

157. Sponsio veracitatis propriae est elementum formale locutionis, ut dictum est, et actus elicitus ipsius voluntatis (n. 121). Huius autem sponsionis est testificare animum veracem et honestum, necnon moraliter sancire manifestationem animae propriae; in quo quidem sponsio non iam est simplex actus veracitatis, sed actus *sinceritatis*, i. e. veracitatis peculiariter determinatae ad ipsius *subiecti loquentis manifestationem*, per quam videlicet perlucidum quodammodo redditur subiectum.

Constat igitur quod elemento formali locutionis immediate substernitur manifestatio correspondens animi loquentis, seu *apertio animi*, quae sponsione ipsa primum sancitur, sicut color immediate substernitur illinimento ceraturae. Actus moralis sanctionis non applicatur immediate ipsi animo, sed *expressioni animi*, quae in eodem actionis ictu exercetur. Haec autem expressio animi denique tandem *sensibilis* sit oportet et physica, ideoque *gestus* rationem habens, et, si falsa, rationem simulationis.

Locutio sane, ut dictum est, non est physica animae revelatio, sicut cum velum desuper ab obiecto removetur, sed revelatio moralis; mens autem ipsa loquentis in locutione non panditur, sicut sanitas corporis in colore pellis, sed remanet physice absconsa secundum se; nihilominus locutio praesefert rationem *ostensionis* seu exhibitionis animi proprii, et *gestum* typicum constituit ad indicandam sinceritatem. « Nullo modo ambigo id conari verba veracium, et quodammodo profiteri, ut animus loquentis appareat; quod obtinerent, omnibus consentientibus, si loqui mentientibus non liceret »[359]. Ille qui loquitur potest semper explicitare illud quod agit dicendo non solum « scio »,

[359] *De magistro*, n. 42.

« certus sum », etc., sed et « sincere dico », « sincerus sum in asserendo ». (n. 87; 121).

Confirmatur haec ratio naturalis, potius quam moralis, manifestationis animi veracis in omni locutione, ex eo quod illi qui de veracitate loquentis absolute certificari curant, non solum dicta ad crisim revocant, sed insuper attendunt ipsi *modo* quo assertiones proferuntur, utrum firmiter et limpide, an oscitanter et confuse, etc., ut ex istis necnon ex indiciis vultus etc., coniectando colligant utrum necne assertionem ut genuinam habere queant, prouti revera saepius constare potest, teste Seneca [360].

Psychologica namque deordinatio falsi sermonis vix unquam ita adaequate potest abscondi quin attente inspicienti detegatur. Non quod sententia recondita translucida fiat, sed quod ipsa simulationis operatio semetipsam perfecte dissimulare non valeat, propter turbationem deviationis inductam in spontaneo effluvio mentalis naturae [361].

## II. *De hypocrisi mentientis.*

158. Locutio falsa constitui nequit absque prolatione sententiae falsae, videlicet sententiae quam aliquis *suam*

---

[360] *Epist.* 79, 16. « Nihil simulatio proficit: paucis imponit leviter extrinsecus inducta facies; veritas in omnem sui partem eadem est. Quae decipiunt, nihil habent solidi. Tenue est mendacium; perlucet, si diligenter inspexeris ».

[361] « Neben den soziologischen Wirkungen des Lügens hat eine psychologische Untersuchung sich insbesondere mit den Wirkungen zu befassen, die das Lügen für den Lügner selbst hat. Nicht so sehr ist dabei gedacht an die Angst des Lügners, dass seine Lüge herauskommen könnte, und an die geistige Energie, die er aufwenden muss, um sich nicht zu verraten, um neue Lügen zur Stütze der alten zu erfinden, usw. Obwohl schon alles dies genügen würde, um, wenn es sich um Grosses handelt, das « verstörte » Wesen des Lügners zu erklären, ist es doch nicht das Wesentliche: das gewaltsame Ueberwinden erheblicher Hemmungen, mit dem das Lügen verbunden ist, erzeugt einen inneren Bruch, in gewissem Sinne eine « Spaltung der Persönlichkeit », eine Störung der inneren Harmonie, — eben das, was man mit « schlechtem-Gewissen » populär zu bezeichnen pflegt. Ich kenne Menschen, die noch nach Jahrzehnten den Riss, der durch eine Lüge in dem Idealbilde ihrer eigenen Persönlichkeit entstanden ist, nicht überwunden haben und Ihn zum Mindesten als « unästetisch » empfinden ». (O. LIPMANN, ' Zur Psychologie der Lüge ' in *Die Lüge* p. 12).

esse declarat, i. e. veram sibi visam, cum *sua* non sit, — quam proinde suam esse *fingit*. De qua fictione superius actum est. Hanc porro sententiam nequit ut suam fingere, cum non sit; in quo committit actum contrarium sinceri-cum non sit; in quo committit actum contrarium sinceritati, i. e. formalem simulationem, sanciendo gestum expressivum falsi animi, animi scilicet non proprii. Porro notandum est quod seipsum simulat non tantum ut actu veracem, i. e. ut verum hic et nunc proferentem, sed et veracem *habitu*, nempe ut *virtute* veracitatis insignitum; quippe qui per professionem veracitatis seu honestatis suae fulciat sententiae suae credibilitatem. In eo igitur quod, asserendo falsum, ipso facto irrealem praetendit honestatem, fingitque ipsam virtutem, omnis mentiens incurrit reatum *hypocrisis* [362], quae pessima simulationum est ex genere suo (n. 142). Hanc hypocrisis labem incurrit etiam dum sententiam profert de re externa nullius momenti, immo dum mentitur imputando sibi falsos defectus, et etiam quando abest omnis affectus hypocrisis. Mendacium involvit intrinsecam sibi formalem malitiam hypocrisis.

Non est tamen cur isti malitiae specialem sectionem devoveamus, cum implicite contineatur in ratione perfidiae, de qua egimus in priori parte. Eodem quippe modo discriminantur hypocrisis simul et perfidia mendacii, cum sint mutuo coextensae in communi appellatione ad fidem audientis.

159. Reatus simulationis formalis saepius designatur nomine *duplicitatis*. Formalis duplicitas intelligitur simulatio ipsius *voluntatis* seu intentionis; illa nempe « qua homo unum praetendit et aliud intendit » [363]. Per hoc enim quod homo exprimit benevolam intentionem, quam non habet, duplicat in se quodammodo formaliter ipsam voluntatem, ut altera sit realis, altera significata; unde proprie tunc adesse dicitur « cor duplex ». Haec tamen est *meta-*

362 Cfr. 1 Tim., 4, 2: ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων...
363 *Sum. theol.*, 2a-2ae, q. 109, a. 2, ad 4m.

*phora,* perinde ac « simplicitas », cui opponitur. Indicat reatum fictionis personae, de quo superius egimus [364], nempe falsum cor praetensum.

III. *De simulatione in simplici falsiloquio.*

160. Simulatio veracitatis et apertionis animi inest non solum in mendacio proprie dicto, sed etiam *in licito sermone falso* utcumque non perfido: at diverso modo. Etenim in sermone falso licito salvatur bona voluntas quae ostenditur, siquidem salvatur in casu interna actualis honestas necnon habitualis veracitas, quae virtus est. Conscientia quippe, ex supposito, recte approbat modum agendi, licet sensui morali molestus percipiatur. Servatur proinde sinceritas in manifestatione virtutis; non incurritur reatus hypocrisis et duplicitatis formalis.

Attamen in sermone falso exhibetur veracitas, quae *actu* non exercetur; sermo falsus proinde sibi retinet *elementum simulationis;* ostendit hominem in aliquo bono rationali sicut non est. Haec tamen duplicitas nequit iam dici formalis, sed *materialis* tantum. Materialis enim est duplicitas per quam in eadem persona duplicatur non iam ipsa voluntas, sed sive externa et interna, vel verba et facta, vel sensus et spiritus, salva remanente *simplicitate morali* honestae voluntatis [365]. Repraesentatio qua constitui-

---

[364] « . . .habentes speciem (μόρφωσιν) quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes . . . » (2 Tim., 3, 5).

[365] « Donec divisa sunt corda nostra et multos interim sinus inveniuntur habere, nec sibi omnino cohaerere videntur, vel particulatim ea et membratim quodammodo levare necesse est, ut in superna illa Ierusalem colligantur, cuius participatio eius in idipsum: ubi non tantum singuli, sed et omnes pariter incipiant habitare in unum non modo scilicet non divisi in semetipsis, sed nec inter seipsos.

Ecce enim, ut tamquam principalia cordis ipsius membra distinguam, est intellectus in nobis, est et affectus; et hi quoque saepius sibi invicem adversantes, ut alter summa petere, alter appetere infima videatur. Quantus vero is dolor, quam gravis animae cruciatus, dum sic distrahitur, sic dilaceratur, sic abrumpitur a seipsa, vel ex ea saltem, quam omnibus experiri in promptu est, corporis scissione coniiciat, si quis in suo spiritu

tur veracitas in actu suo non est actus elicitus voluntatis, sicut sponsio, sed actus *intellectualis*, saltem ex genere suo [366], actus nempe verbalis, sub imperio voluntatis elicitus (n. 123). Etenim « dicere, si proprie sumatur, est producere verbum » [367]; verbum autem nihil aliud dicit quam quandam emanationem ab intellectu per modum manifestantis... Prima enim ratio verbi est ordinatio cognitionis intelligibilis ad manifestationem » [368]. Ergo repraesentatio animi requisita ad veracitatem est actus intellectualis ex genere suo, et fictio eius non reddit ipsum hominem « fictum », pro eo quod « fictus dicitur aliquis ex eo quod demonstrat se aliquid *velle* quod non vult » [369].

Actus iste remanet intra limites pravitatis materialis, de qua saepius egimus. Superat sane limites inordinationis quae est in genere naturae tantum, quia proximam dispositionem organicam in se continet ad hypocrisim mendacii, et contrarius est actui materialiter virtuoso seu bono in ordine rationis, nempe veraci sermoni. Attamen materialis ista duplicitas non iam constituit « cor duplex », sed potius duplicatum hominem, secundum quod aliud « habet in corde » seu intime experitur aut agit in abdito mentis suae, et aliud praesefert in vultu suo, seu gestibus externis. Ipsa voluntas non duplicatur.

Haec duplicatio sane non formosa secundum se, sed nonnunquam necessaria, exercetur e. g. in omni actu abstinentiae seu dominationis sui exercito in ipso ictu passionis, siquidem abstinentia per se exprimit impassibilitatem actualem: exterior homo se habet ut impassibilis, tumultuante interno. Simulatio-

---

animadvertere perniciosa et periculosa insensibilitate non neglexerit. Distrahuntur hominis crura, et longioris obice ligni removentur ab invicem pedes, et dum adhuc cutis integra manet, quis tamen est ille cruciatus! » (S. Bernardus, *S.* 5 *in Ascens*, n. 5).

366 Actus iste est virtualiter tantum intellectualis, cum non agatur nisi verbum exterius prolatum.

367 *Quodl.* 4, q. 4, a. 6, ad 1m. Cfr. *In* 1. *Sent.*, d. 27, q. 2, a. 2, obj. 3.

368 *In* 1. *Sent.*, d. 27, q. 2, a. 1.

369 *Sum. theol.*, 3a, q. 69, a. 9, ad 3m.

nem formalem haberes tantum si e. g. pietatem affectaret eo ipso tempore quo sensualitati remitteret imaginationis habenas.

Sermo falsus licitus quadantenus assimilari potest rationi agendi illius qui ob causas legitimas necessarias renuntiat promissis suis adimplendis, quin physice impediatur. Iste sane non habet duplex cor, uti notavit S. Augustinus [370]; nemo tamen non videt oportere ut desistentia a promissis adimplendis praecaveatur, determinatius promittendo, pro quanto occurrentiae praevideri possunt. Ille enim qui leviter promittit formaliter peccat, licet sincere promittat; quia non satis vitat eventualitatem renuntiandi promissis suis, reique huius indecorum. Sermo falsus licitus similis est promissioni voluntarie liciteque non adimpletae, salva circumstantia temporis; de praesenti enim fit illud quod in alio casu accidit secundum temporis successionem.

## IV. *Discriminatio simulationis.*

### A. *De dissimulatione.*

161. Hucusque consideravimus simulationem prout universim exercetur in quovis mendacio. At, siquidem plurimae assertiones pro obiecto particulari habent ipsum *loquentis animum*, peculiaris quaestio oritur, eaque nonnunquam vexata, de *sinceritate* conversationis. Solvendae quippe veniunt aequivocationes quibus fulciuntur paradoxa quaedam speciosa aeque ac facilia de « necessitate » mendacii ad vitam socialem utcumque sustinendam [371].

---

[370] « Illud vero quod non habet duplex cor, nec mendacium quidem dicendum est. Tamquam, verbi gratia, si cui gladius commendetur et promittat se redditurum, cum ille qui commendavit poposcerit; si forte gladium suum repetat furens, manifestum est tunc non esse reddendum, ne vel se occidat vel alios, donec ei sanitas restituatur. Hic ideo non habet duplex cor, quia ille cui commendatus est gladius, cum promittebat se redditurum poscenti, non cogitabat furentem posse repetere ». (*Enarr. in Ps.* 5, n. 7).

[371] « Les hommes ne vivraient pas longtemps en société s'ils n'étaient les dupes les uns des autres » (La Rochefoucauld, *Sentences et maximes*, LXXXVII). — « Il n'en reste pas moins évident que tout ce qui conserve et qui fortifie l'agrégat social, est duperie pour l'individu et que les bases mêmes de la société où il vit imposent à ce dernier un jeu continu de simulations utiles et de dissimulations nécessaires. Il résulte de là cette contradiction à savoir que le mensonge est la chose anti-sociale par excellence, et

Illico quidem sentitur exaggeratio misanthropica vel litteraria talium formularum; negari tamen nequit aliquod eisdem inesse fundamentum veritatis, ex reali condicione consortii humani exsurgens. Restat igitur ut ponderentur et determinentur praecipua momenta aequilibrii doctrinae de sinceritate.

« Aequilibrium », inquimus, siquidem et ipsi virtuti sinceritatis incumbit asservatio iusti medii proprii virtutum moralium in universum. Nemo sane potest esse nimis sincerus, i. e. nimis limpidus in illis quae de seipso dicit, nimis aversus ab omni simulatione, nimis aequidistans « a iactantia et ab ironia » [372], sicut nec, proprie loquendo, nimis iustus. At si virtus ipsa nimia esse nequit, potest homo nimius esse respectu virtutis. Claritas nequit esse nimia in illis quae homo de se manifestat, sed homo potest esse nimius in illis quae de se manifestat.

« In ore fatuorum cor illorum,
et in corde sapientium os illorum » [373].

Nimia *apertio* animi, aeque ac nimia *absconsio* animi, rationem inordinationis induit. Ad excessum enim apertionis animi pertinet libertas sermonis ad proterviam deducta, qua proximus iure offenditur, vel usque ad incontinentiam, quae rudis naturae passiones frenare compos non est, quominus in actum exteriorem erumpant. Sinceritas igitur et ipsa excellit secundum discretionem moralem exactam excessus et defectus in manifestatione subiecti.

Apertio igitur animi, licet per se bona sit, non est absolute indiscriminateque talis, sed potius veritas in apertione animi. Apertus animus se habet ad sincerum animum, in ordine virtutis, proportionaliter sicut occisio se habet

---

que la société pourtant ne saurait s'en passer. Le mensonge, c'est la négation même de la vie sociale, et c'est aussi la condition indispensable de cette vie. Paradoxe étrange et qui devra subsister aussi longtemps que le moi social et l'individuel s'opposeront ... » (G. Dromard, *Essai sur la sincérité*, p. 20. Paris, 1911).

372 *Ethica Nicomachea* B. 7. 1108a 19 ss.

373 Eccli., 21, 29.

ad homicidium in ordine vitii, nempe ut actus materialis respondens virtuti in ratione dispositionis ad ipsam.

Apertio animi est bonum naturale, potius quam bonum stricte rationale. In quantum bonam indolem manifestat, rationem habet *ingenuitatis;* expressio enim sua est decor boni. At malum exprimere est per se malum; expressio enim sua est opprobrium mali. Expressio sensuum affectuumque inordinatorum non tantum auget per se actuationem inordinationis internae, sed addit peccatum externum peccato interno. Unde probo naturali instinctu tegimus malum; et verecundia moderata, seu absconsio non timida animi inordinati, per se bona est. Protervia vero est in eo quod inordinatum affectum, ut bonum illum habentes, manifestamus. Ingenuitas igitur bona est in quantum nobilem naturam exprimit, uti splendor quidam bonitatis, sicut candor pulchre sociatur lumini; at tenebris bona est obscuritas sua, et inordinatis affectibus sua verecundia.

Humilis *peccatorum confessio* non est manifestatio mali qua malum est; non exprimit qua tales ipsos sensus et actus pravos; sed est manifestatio *recti iudicii de malo*, redarguens illud; et hoc est bonum; vel detectio mali *ut reprobetur*, et a luce arguatur, sicut vulnus detegitur medico ut sanetur. Haec autem non est manifestatio mali, sed procuratio boni, ideoque manifestatio rectae voluntatis subsidium contra proprios defectus quaerentis, et per accidens tantum mali manifestatio.

Revera nullus ex integro liber est, inter filios Adae, propria sua omnia detegendi; servilis condicionis sumus omnes ex aliqua parte, et quibus est tacendum. Absoluta ingenuitas aequivaleret assertioni absolutae bonitatis proprii subiecti, utpote illimitate digni expressione. Genuina cordis simplicitas, seu perfectio moralis simplicitatis, excludens omnem formalem duplicitatem, et detestationem secumferens omnis fraudis et doli in agendo, non potest igitur exerceri in conversatione humana cum absoluta materiali simplicitate, i. e. cum indiscreta ingenuitate.

Indiscreta enim ingenuitas secumferret in nostri mundi conditionibus plurimas offensiones formales moralis rectitudinis et

simplicitatis, quae consistit in coherentia actionis nostrae cum dictamine rectae rationis.

162. Nonne tamen haec animi absconsio simulationem animi importat? Dum irae motum reprimis, quominus foris erumpat, nonne mansuetum foris te exhibes, contra veritatem? Respondetur quod irae motum compescendo, non eo ipso te exhibes tamquam homo cui ira non iam sit compescenda, seu tamquam vir ex impassibilitate perfecta consummate mansuetus; ergo teipsum exhibes in veritate sicuti es, i. e. ut irae continens, seu dominus motuum tuorum.

Attendendum autem est quod diversae sunt occultationes. Alia quidem est simplex occultatio, velut sepultura, in qua scilicet rei absconsio non occultatur, immo potius monumento manifestatur. Huiusmodi est refrenatio motus irae talis quae manifestet refrenationem, sive ex impotentia, sive ex intento. Hic sane non est ulla dissimulatio; sed adest defectus continentiae, vel etiam caritatis, si irae motus fuerit inordinatus. Manifesta enim refrenatio est permeatio aliqua irae ad externum.

Alia occultatio non tantum rem abscondit, sed *absconsionem* sedulo occultare satagit; sicut qui thesaurum in agro recondit cavens ne terra recens conversa appareat. Huiusmodi est serenitas illius qui ita refrenat iram ut nequidem videatur illam refrenare. Et haec dicitur proprie *dissimulatio*. Nec per se quidquam peccati habet aut simulationis.

Alia tandem est occultatio in qua non modo res absconditur, sed *contrarium* rei exhibetur; sicut si quis post thesauri absconsionem tritos vestitus induerit, ut egenus videatur. Cuiusmodi est ille qui illo ipso tempore quo iram compescit suavitatem affectat. Et hoc per se quidem est *simulatio;* non tamen indiscriminatim.

B. *De duplicatione personae.*

163. Quaestio enim oritur, paulo intricatior, de variis illis sermonibus et gestibus, quibus in consortio civili ex-

primi solent affectus quos nullatenus, ut videtur, experimur, immo contrarios illis quos hic et nunc experimur, quin ullo modo, teste conscientia etiam delicatissima, exinde contrahatur reatus hypocrisis aut simulationis. Exemplo sit usus, ad normam bonae educationis moderatus, formularum urbanarum ad ingrata quaedam communicanda vel celanda, vel usus titulorum superlative honorificorum; qui quidem, modo non sit affectatus, ab omnibus, etiam honestissimis, approbatur, ut perfectus sincerusque agendi et loquendi modus, quin iudicetur pura formalitas.

Ad hoc igitur advertendum est quod praeter duplicitates supra enumeratas, — formalem scilicet et materialem, — quae proprie tales dicuntur, occurrit et duplicitas aliqua *improprie dicta*, quae potius est realis quaedam *duplicatio* seu complicatio *personae moralis* in eadem persona physica, pro varietate munerum et officiorum quibus addicitur, et relationum quas exercet.

Ex humanae enim actionis naturali complexitate realiter distingui possunt in iisdem individuis, successiveque exerceri, persona privata, e. g. dum aliquis quiescit, dum studio incumbit, persona amici, patris, medici, regis, sacerdotis, etc; et in genere persona relative individualis aut particularis, respectu personae relative universalis aut socialis, et quidem in variis gradibus consortii socialis.

Dum igitur aliquis, officia gerendo personae socialis, *abstrahit* in mensura convenienti a dispositionibus personae individualis, aut vice versa, nihil non sincerum per se committit, quippe qui personam alteram, ex supposito, hic et nunc exercendam exhibendamque non habeat. Inadvertentia ad hanc vitae humanae naturalem complexitatem et ad officia discretionis eidem adnexa, constituit defectuosam simplicitatem, quae nec in pueris « terribilibus » indulgentiam semper obtinet.

Simulatio quidem locum habet in illo qui personam a sua *alienam* quomodocumque induit, ut si quis seipsum

peculiariter pium demonstret forinsecus, ad hoc ut pius esse aestimetur, cum pius non sit, nec esse contendat; vel cum aliquis praetendit scire ea quae conscius est se nescire, etc.

At personam *nostram* socialem sustinere, illam videlicet quae muneri nostro vel positioni sociali respondet, perfecteque velle eandem adimplere in reali mundi scena, nihil aliud est quam actualis perfunctio officii nostri, pro posse nostro utcumque imperfecto. Sinceritas intelligitur relativa personae quam aliquis hic et nunc iure honesteque gerit in conversando; haec sinceritas non minuitur si in adimplendo munere dispositiones sint ex officio verbis factisve actuandae et exhibendae, quas *habitu* nondum consecuti fuerimus. Repressio simultanea, etiamsi violenta, personae individualis, nondum perfecte subactae sociali officio, et contrariis affectibus stimulatae, non afficit sinceritatem actionis socialis, modo haec vera sit in seipsa, seu in ordine suo. Nulla est simulatio, quia non iam habes quod *eadem persona* aliud experitur et aliud ostendit, sed potius quod *alia persona* aliud experitur *simul et ostendit*, *alia* vero persona aliud item experitur et iure honesteque occultat vel dissimulat, licet res utraque eveniat in eodem individuo et in eodem tempore. Haec enim persona hic et nunc non agit in conversatione. Nulla igitur per se inest simulatio, ne materialis quidem, pro eo quod abstractio illa exercetur a sensibus et affectibus personae individuae, nec ullus per se aliam in casu sinceritatem expectat, nisi socialem.

Immo, quo magis, in adimplendo officio sociali, ab negatur quidquid individualisticum est in sensu contendens, ut debitus sensus personae socialis perfectius induatur, eo magis intramus simplicitatem illam vere humanam, quae eo spiritualior est quo universalior. Quis unquam simulationem adesse somniatus est in eo quod Apostolus confitetur: «... factus sum... iis, qui sub lege erant, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege, ut eos, qui

sub lege erant, lucrifacerem... Omnibus omnia factus sum... »[374]. Sincerissimus in his omnibus se ostendit, simplicissime agendo ut legatus illius qui propter nostram salutem homo factus est, et manifestando caritatem qua vere, pure penitusque flagrabat.

Honestas hominis non determinatur ad personam moralem particularem, sed ad rectam compositionem personae compositae, quae ei exercenda obtingit in diversis communitatis humanae gradibus, quibus a nativitate miscetur, ex sapienti discrimine rectae coordinationis officiorum.

164. Superfluum non erit *exempla* aliqua proponere.

Rei publicae praeses, qui clementiam regiam verbis factisve exhibet erga sontem ad se appellantem, sibique invisum, cui libenter, ex privato suo iudicio et animo vindictivo, pleniorem expiationem ordinaret, non simulat in eo quod reale istud desiderium occultat, seu potius realiter praetermittit, ut convenientem regiam clementiam ad normam legum, ministrorumque placitum, exerceat. Actus et verba clementiae sunt actio vera et sincera personae politicae; respondent enim intentioni cuidam reali remittendi poenam. Simulatio non intrabit nisi dispositio clementiae tamquam personae privatae etiam expresse affectetur, vel si remissio poenae per actum ex officio positum societur iussioni occultae sontem occidendi.

Dux exercitus, qui sensum paternum abscondit, ut filium exercitui proprio addictum cum ceteris eiusdem gradus militibus tractet et alloquatur, nullatenus simulat indifferentiam; sicut nec quando filium mittit ad proelium periculosum, violenter conculcando renisum animi. Simularet, si indifferentiam verbis ostentans, factis eam clam contradiceret, minores labores filio imponendo, etc.

Sacerdos conscius negligentiae et tepiditatis propriae, qui fervidas exhortationes fidelibus proponit, ad officium suum pastorale rite explendum, non est ipso facto de simulatione inculpandus, et absonum ei esset cum scandalo fideles admonere de propria tepiditate, si inobservatam eam existimaret. Fervida sacerdotalis exhortatio per se non proponitur ut personalis fervoris testimonium, licet iste fervor sit peroptabilis, sed ut bona muneris adimpletio; in qua quidem bona adimple-

---

[374] 1 Cor., 9, 19-23.

tione sacerdos actu saltem non est tepidus. Sacerdos ex officio verbum faciens non exhortatur populum primo de persona propria, sed ut Dei vices gerens, « tamquam Deo exhortante per nos » [375]; proponit « exhortationem qua exhortamur et ipsi a Deo » [376]; et implicite profiteri censetur se prae omnibus exhortatione sua indigere. Inculpandus est sacerdos tepidus, non de fervida exhortatione, sed de eo quod ipse non incalescat igni sermonis oris sui: « Qui ergo alium doces, teipsum non doces! » [377]. In hypocrisim — et quam facile! — incidet, si eo modo exhortationem ex intento proposuerit, ut videretur genuine fervidus, vel praeter intentionem muneris adimplendi exhortationem extra ordinem instituerit, etc. Quodsi revera, praeter ostentationis desiderium, existimationem ferventis sacerdotis in populo consecutus fuerit, nihil per se remanebit, nisi stimulus novus ut talis reapse tandem fiat, qualis existimatur.

In alio genere, commensalis surgens a prandio sat mediocri, dum discrete profitetur hospitae — praesertim interroganti — se laute admodum pastum gustasse, nihil aliud significat per se nisi realem benevolentiam suam et bonam educationem. Non assentatur, nisi rem modo emphatico confirmaverit. Nec quidquam in sensu verborum mutatur ex eo quod hospita prona cognoscatur ad sublimia concipienda de culina domestica.

Item ille qui motum exasperationis reprimit ut blande introducat importunum visitatorem, sincere se gerit in hac relatione sociali, quam normalem esse supponimus, licet iucunditatem exhibeat intimae illi vexationi contrariam, quae promit ad visitatorem educendum. Non intendit simulare, nec reapse quidquam simulat; sed veram exercet civilitatem et caritatem, cuius amicalis benignitatis expressio partem constituit, tamquam invitationis significatio. Ostensio enim vel minima exasperationis aut defatigationis est eductio practica visitatoris; et hoc quidem simpliciter non vult facere. Haec igitur iucunditatis expressio, modo citra affectationem remanserit, nihil aliud erit quam indicium exercitiumque socialis virtutis. Qua deficiente facilius incurret sane in simulationem, licet non necessario [378].

---

[375] 2 Cor., 5, 20. [376] 2 Cor., 1, 4. [377] Rom., 2; 21.

[378] « La politesse n'inspire pas toujours la bonté, l'équité, la complaisance, la gratitude; elle en donne au moins les apparences, et fait paraître l'homme au dehors comme il devrait être intérieurement ». (La Bruyère, *Les Caractères* 'De la société et de la conversation').

Simulasset si coram intimo familiari amico, quocum necessitudo firmior exquirebat simplicem animi apertionem, non dixisset horam esse revera inopportunam. Simulasset praesertim, si iucunditatem benevolentiamque exhibuisset quando in eodem ordine sociali malevolum animum gessisset, malumve intentasset; sicut legati politici amicitiam ostentantes ad imminentem belli declarationem celandam; vel si quis comiter invitet, quem prodere intendat, et ita porro[379]. Ibi enim duplicatio locum obtinet in eadem morali persona, ideoque in duplicitatem recidimus, propter defectum debitae vel decorosae identitatis personae, prout simulatio fuerit formalis vel materialis tantum.

C. « *Nescio* ... ».

165. Observatio de duplicatione personae moralis peculiarem vim habet ad exculpandam in pluribus circumstanciis *professionem ignorantiae irrealis*. Nonnunquam enim persona privata ignorare censetur illud quod persona publica communicare vetatur, et vice versa. Et in genere loquendo, illa quae legitime ex officio morali tacentur, habenda sunt ut ignota in conversatione cum illo cui tacenda sunt. Haec responsio « Nescio », sumpta ut membrum determinatae cuiusdam conversationis, potest esse vera in se, et falsa per accidens: vera quidem in persona quae loquitur, falsa in persona quae hic et nunc non loquitur; prout quotidie in legatorum conversatione occurrit. Item legitime quis loqui potest ut ignarus secreti, et sic proferre illa quae, ut gnarus, scit esse falsa, at secundum communem notitiam vera remanent; loquens igitur ex persona communiter informata verum loquitur, ignorando quae scit ex persona sub secreto constituta.

Hanc doctrinam superius notavimus a S. Thoma applicatam ad tuendum secretum confessionis (n. 133); et mutatis mutandis applicari potest ceteris secretis legitimis et necessariis.

---

[379] « Blandior butyro est facies eius,
sed cor eius pugnax.
Molliores oleo sunt sermones eius,
sed sunt gladii stricti ». (Ps. 54, 22).

S. Augustinus approbat similem interpretationem *nescientiae* Christi apud S. Hilarium:

« Proinde beatus Hilarius, cum obscuram quaestionem obscuro hoc genere tropicae locutionis aperuit, ut intelligeremus in eo se nimirum [380] dixisse nescientem, in quo alios facit occultando nescientes, non excusavit mendacium, sed mendacium non esse monstravit » [381].

Haec autem legebantur apud S. Hilarium:

« Agens itaque se atque confirmans hominem natum, manens Deus Verbum, saepissime in ea est professione qua homo est, cum tamen et protestatio Dei ea sit saepe quae hominum, cum ea nescit, quae aut non sint in tempore confitenda, aut non agnoscuntur ad meritum. Intelligendum itaque est, cur professus sit diem se nescire. Si omnino nescire creditur, Apostolus ita contradicit, 'In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconsi'. Est ergo absconsa scientia: quae quia abscondenda est, interdum et nescientia confitenda est, ut esse possit absconsa. Nam si erit in protestatione, non etiam in secreto manebit. Negat ergo se scire, ut scientia possit esse abscondita... » [382].

Periculum tamen non deest, sicut in ceteris solutionibus mendacium discriminantibus, quominus exceptio *materialiter* consideretur, et responsio « Nescio » tamquam a fallacitate exempta habeatur, contra illud quod expresse notavimus in priori parte. Ut aliquatenus obvietur periculo notandum est quod responsio « Nescio » peccatum olim constituit ipsius Sancti Petri. Constat enim Apostolum non denegasse Iesum esse Messiam, sed solummodo *se esse discipulum* Christi: « Non novi hominem », et quidem ad hoc ut importunas interrogationes evaderet. Timuit incommodum confessionis; noluit solutionem exeundi; fecit id quod plurimi in iisdem circumstanciis fecissent ad commodius vitandas indiscretiones. Peccatum autem ex ipsis principiis nunc propositis gravissimum evincitur, siquidem *officium* confessionis Christi praecipuum erat in Petro, et licet positivum, nullis tamen determinatis condicionibus limitatum,

---

380 C. Vind. 44: « minus ».
381 *Epist.* 180, n. 3.
382 *De Trinitate,* lib. 9, n. 66-67. PL. 10, 334-5.

talis autem ut non posset « quae vidisset et audisset non loqui » (Act., 4, 20); negando autem se esse discipulum, omnia negabat, et a munere suo totaliter deficiebat.

D. *Doctrina S. Thomae in proposito.*

166. Iuvabit autem hoc loco textum aliquem S. Thomae attente considerare; in quo compendiata quadantenus inveniantur principia solutionis ad discussionem applicata et evoluta:

« Operationes..., quibus fit communicatio ad alterum, secundum humanum modum regulantur, vel ex eo *ad quem* est communicatio, sicut cum ei aliquid exhibetur, quod facit *iustitia,* vel ex ipso *qui* ad alterum sua communicat, in quantum *bonum eius relucet* in tali communicatione, ut *mensura* harum communicationum.

Quae quidem communicatio vel est in hoc quod homo *sua* tribuit, quod facit *liberalitas* in mediocribus, et *magnificentia* in maximis donis et sumptibus; vel in eo quod *seipsum* alteri exhibet, sive *per cognitionem,* ut scilicet cognoscatur *talis qualis est* per dicta et facta, quod facit virtus quaedam quae a Philosopho dicitur *veritas,* sive *per affectionem,* in quantum se delectabilem exhibet sociis, ut in ludis, quod facit *eutrapelia,* vel in communi vita, quod facit *amicitia,* quae a Philosopho virtus ponitur per quam homo ad unumquemque *decenter se habet* in dictis et factis »[383].

Illico legenti patet — praeter duplex respectus socialis et individualis de quo supra egimus (n. 139) — quod communicatio ordinatur ad hoc ut *bonum* communicantis, non vero malum ipsius, reluceat in communicatione (n. 151 et 161); ex isto fine communicationis implicite mensuratur applicatio sinceritatis in apertione animi Alterum, quod communicatio locutionis, quae per veritatem moralem, i. e. per veracitatem, exercetur, una tantum est *particularis* virtus, cum affinibus quibusdam virtutibus communicationis prudenter componenda; ex quo patet non absolutam esse posse regulam animum aperiendi.

E. *Manifestatio et exercitatio virtutum.*

167. Notandum etiam est in universum quod exterior praxis virtutum, sive factis, sive etiam verbis fiat, non simpliciter intelligitur ut *manifestatio habitus* acquisiti, sed etiam ut *exercitatio* ad habitum *acquirendum,* ideoque ut

[383] *In 3. Sent.,* d. 34, q. 1, a. 2.

professio quaedam intimae indigentiae et necessarii progressus respectu eiusdem virtutis. Nulla igitur per se inest hypocrisis in convenienti exercitatione virtutum, quibus adhuc ex parte repugnant vigentes animi inclinationes; haec enim exprimit dispositiones prout adhuc sunt *in motu*, seu in actu imperfecto. Modo sincera sit contentio in virtutem acquirendam, *ipsa fictio* virtutis seu boni habitus fieri potest aliquatenus materialis, in quantum externa et vocalis expressio habituum multum conferre solet, per modum *suggestionis*, ad internam illorum efformationem [384].

Quod si praeter omnem affectationem ex parte nostra contingat ut exinde iudicemur eminere in illis virtutibus, quibus probe scimus nos carere, permitti sane potest ut non curemus, sicut nec de vituperiis aliisque iudiciis hominum.

Religiosus proinde, qui ad osculandos pedes fratrum suorum ex observantia procedit, non testificat propriam humilitatem, nisi per accidens, sed necessariam sibi exercitationem ad eam acquirendam et ad resistendum elationi cordis. Et etiamsi actu iam se iudicet ultimum fratrum suorum et indignum consortio eorum, et gestus eius sit perfecta sensus sui expressio, bene adhuc conscius est quod actus non facit habitum. Siquidem vana est sui conscia humilitas. Hypocrisim incurret si gestum humilitatis non ob asceticam rationem exercuerit, sed ut videatur humilis vel observantiae cultor.

Idem cum multo discrimine dici potest de verbis humilibus, in illis qui nondum sensu humiles sunt; qui tamen facillime incurrunt in vanam affectationem, ex verecundia propriae superbiae [385].

---

384 « Vous voulez aller à la foi, et vous n'en savez pas le chemin; vous voulez vous guérir de l'infidélité, et vous en demandez le remède: apprenez de ceux qui ont été liés comme vous... Suivez la manière par où ils ont commencé: c'est en faisant tout comme s'ils croyaient, en prenant de l'eau bénite, en faisant dire des messes, etc. Naturellement même cela vous fera croire et vous abêtira ». PASCAL, *Pensées*, n. 233 (Brunschvigg, p. 441). Cfr. n. 249, 250.

385 « Nous disons maintesfois que nous ne sommes rien ...; mais nous serions bien marris qu'on nous prist au mot... La vraye humilité ne fait pas semblant de l'estre et ne dit guères de paroles d'humilité, car elle ne desire pas seulement de cacher les autres vertus, mais encor et principalement elle souhaite de se cacher soy mesme...

168. Liceat exemplo quodam plura recapitulare. En religiosus cui Superior urbaniter iniungit officii residentiaeque gravosam mutationem, dicens: « Velisne hoc aliud munus tibi accipere? ». Incunctanter respondet bonus religiosus « Libentissime », licet sensus intimus vivide feriatur ex prospectis difficultatibus et privationibus. Sincere quidem respondit, quia nihil aliud in adverbio ostendit nisi personam boni religiosi, qui conculcatis affectibus propriis hilarem oboedientiam exhibere contendit. Perfectior vero fuisset si, carne iam plene mortificata, ne repugnantiam quidem expertus fuisset. At bonum se religiosum asserendo, non ut virum perfectum se proponit, sed ut virum serio tendentem ad perfectionem.

Sinceritas labefactaretur si modus pronuntiandi talis fuisset, qui non hilarem oboedientiam, sed plenam mortificationem aut peculiarem naturalem iucunditatem significasset.

At ecce pergit Superior: « Utique novi promptum tuum animum, sed hoc ipsum velim mihi simpliciter indices, quid nempe naturaliter sentias in conspectu propositae mutationis ». Quodsi religiosus tunc pergat libentem animum asserere, celetque repugnantiam, sane mentitur.

At naturaliter quidem abhorret mutationem, sed propter occasiones peccandi quas in priori officio expertus est, sincere desiderat mutationem; rationem autem Superiori revelare ne-

---

« Voyci donc mon advis, Philothee: ou ne disons point de paroles d'humilité, ou disons les avec un vray sentiment interieur, conforme à ce que nous prononçons exterieurement; n'abaissons jamais les yeux qu'en humiliant nos coeurs; ne faisons pas semblant de vouloir estre des derniers, que de bon coeur nous ne voulussions l'estre. Or je tiens cette regle si generale que je n'y apporte nulle exception: seulement j'adjouste que la civilité requiert que nous presentions quelquefois l'advantage a ceux qui manifestement ne le prendront pas, et ce n'est pourtant pas ni duplicité ni fausse humilité; car alhors le seul offre de l'advantage est un commencement d'honneur, et puisqu'on ne peut le leur donner entier on ne fait pas mal de leur en donner le commencement. J'en dis de mesme de quelques paroles d'honneur ou de respect qui, a la rigueur, ne semblent pas veritables; car elles le sont neanmoins asses, pourveu que le coeur de celuy qui les prononce ait une vraye intention d'honnorer et de respecter celuy pour lequel il les dit; car encor que les motz signifient avec quelque exces ce que nous disons, nous ne faisons pas mal de les employer quand l'usage commun le requiert. Il est vray qu'encor voudrois-je que les paroles fussent adjustees a nos affections au plus pres qu'il nous seroit possible, pour suivre en tout et par tout la simplicité et candeur cordiale ». S. Franciscus Salesius, *Introduction à la vie dévote*, 3e partie, ch. 5. *Oeuvres*, tome 3. Annecy 1893, p. 147-8.

quit, ob periculum aliquod indirectae violationis sigilli confessionis. In angustiis constitutus, aequivoce confirmat libentem animum proficiscendi, immo non aequivoce, si nulla revera adsit ratio dubitandi de sensu verborum quibus libentem animum confirmat. Tunc revera falsum sermonem licitum exercet, non tamen sine honesta turbatione et displicentia morali, quia rationem aliquam ex tempore adinvenire non potuit ad veritatem cum discretione conciliandam.

Quodsi responsum scripto trasmittens tempus habuerit ad verba maturius ponderanda, et rationem aliquam veram adinvenerit amandi mutationem, poterit illam cum sociali veritate proponere, utpote loquens exclusive de non secretis. Quodsi tandem non adsit ratio sigilli tuendi, possit autem discrete dicere cum veritate simul et indeterminatione se libenter amplecti mutationem « ob rationes conscientiae », id vero non faciat ex timore suspicionum a parte Superioris, mendacium iterum formale incurrit, in quantum humiliationem, quantumcumque gravem, prae sinceritatis lapsu evitare maluit.

Exemplum indefinite variari potest ad exercitium recapitulativum.

Corollarium. *De sinceritate cordis.*

168. Ex hac tertia parte, quae de *discretione* in sinceritatis exercitio plurimum tractavit, non sequitur exclusio exercitii *absolutae* sinceritatis, sed *determinatio* eius et liberatio.

Lex *indiscriminata* absolutae sinceritatis, seu assertionis sui irrespectivae, esset lex feritatis et alumnorum Nietschii, vel saltem nigrae bilis. Nullum est per se morale officium sinceritatis circa *passiones* nostras; etenim, ut ostensum est, animalis, praesertim irrationalis, manifestatio nihil ex se habet determinati boni moralis; *possunt* quidem legitime manifestari passiones, si rationi sint conformes; at nulla est simulatio si ita reprimentur, etiam dum bonae sunt, ut videaris impassibilis [386].

Lex sinceritatis constantiaeque hominis secumipso in manifestationibus suis vigere incipit circa rectos suos mentales actus, qui proprie personales sunt. Vita enim humana

---

386 Cfr. S. Augustinum, *Confessionum*, lib. 9, c. XII.

qua talis est professio quaedam veritatis moralis, secundum quod amore illo inspiratur, quem spirat perfectum verbum [387]. Vita respondens supposito immateriali eximitur ab alteritate et inconstantia propria materialis creaturae, et nata est « ipseitatem » intrinsecam subsistentis essentiae manifestare. Ipseitatem dicimus, secundum quod suppositum spirituale seipso tantum aliquatenus constat, et ex seipso universalitatem simpliciter attingit, saltem potentialem (sicut anima humana, in infimo spirituum gradu constituta, quae secundum incondicionata principia prima ad omne ens pertingit) [388]. Haec ipseitas designat in persona eminentiam illam entitatis ex qua specificatur in suo gradu ut seipsa constans in participatione existentiae, et sibi constans in agendo, ut bene sit, unde et dicitur subsistere in seipsa et immanenter agere. Proprium igitur est vitae personae, qua talis, ut haec vita seipsam simpliciter ponat, dum vivitur secundum esse.

Hic modus personalis actionis humanae naturaliter quidem manifestatur in operationibus immanentibus, quae etiam determinantur secundum esse sui obiecti, sive quatenus verum, sive quatenus bonum; sed et *moraliter* etiam manifestatur, secundum constantiam, cohaerentiam, simplicitatem spiritualem actionis, quae nullatenus ab intento, etiam libero, desciscit, quaeque nullatenus in seipsa duplicatur, nullatenus sibimet contraponitur; in qua tandem non invenitur « Est » et « Non est », perinde ac in rebus materialibus [389].

---

[387] *In* 1. *Sent.*, d. 27, q. 2, a. 1.

[388] Haec ipseitas in persona creata non est absoluta; non constituit in ea identitatem propriam ipsius Esse subsistentis, nec distinctionem excludit essentiae et existentiae.

[389] « Qu'est-ce que mettre son point d'honneur à remplir un engagement, sinon justement poser cet accent sur l'identité supratemporelle du sujet qui le contracte et l'exécute? J'en viens alors à penser que cette identité vaut par soi, quel que soit le contenu de ma promesse. C'est cette identité qu'il importe de maintenir — et elle seule ... » (G. Marcel, *Notes sur la fidélité*. (Extrait du *Journal métaphysique*), *La vie intellectuelle*, 34 (1935), p. 300.

Haec personae regula spiritualis, si indefectibiliter asservetur, resultat « intelligibilis pulchritudo » (ἀρετή) illius « de cuius ore falsi nihil procedit », « luminosum bonum, in quo mendacii tenebrae nullae sunt », honestas intemerata, ex cuius contemplatione, ait S. Augustinus, « sic amore tanti decoris accendor, ut cuncta quae inde me revocant humana contemnam » [390].

Lex personalis identitatis hominis secumipso indenegabilis quidem est, immo fundamentalis in ethica; attamen, in se considerata, lex ista remanet *abstracta* seu formalis; nequit ut absoluta concipi, ac si lex suprema veritatis esset ut *nos ipsos*, in particularitate nostra, exprimeremus, non vero *ipsum Deum*, ipsique Deo semet in nobis exprimenti subserviremus, ad « sinceritatem Dei » [391] evecti. Ipseitas nostra naturalis salvatur, vitaliterque consummatur, pro quanto idem in forma vitae fimus cum Bono absoluto, secundum voluntatis assimilationem in amore divino. Sinceritas Dei nihil aliud est quam « facere veritatem in caritate » [392]. Cohaerentia nostra salvatur in quantum vita nostra ex integro componitur ut symphonia quaedam primae Veritatis, in quo et ad aeternitatem formatur.

Perfecte igitur sincerum est cor nostrum quando rectum est in caritate, cuius plenitudini nulla a Deo mensura assignatur, quaeque saturari veritate potest. At infra vitam caritate inspiratam, honestas naturalis, quantumvis studiosa, ab umbra mendacii et duplicitatis vitam humanam eximere nusquam ex toto valebit. Ex seipso enim homo mendax.

Caritas autem non abundat, nisi caro, seu amor proprius, mortificetur, nisi voluntati propriae assertionis succedat voluntas propriae abnegationis; nisi quidditati nostrae individuali renuntiemus, ut *omnia* omnibus in Domino recreati fiamus; in quo sane elucet viri spiritualis *prudentia;*

---

390 *Contra mendacium*, c. 18.
391 2 Cor., 1, 12.
392 Eph., 4, 15.

qui quidem ab omni « verbi adulteratione » abhorret, utpote « sicut ex Deo coram Deo in Christo » verba faciens [393]; non dedignatur tamen omnium servus fieri, et Iudaeis quidem tamquam Iudaeus, et infirmis tamquam infirmus, ut lucri fiant veritati [394]. Iste scientia propria non ita inflatur ut exinde periculum posthabeat scandali pusillorum in scientia sua exhibenda. Urgetur enim a caritate Christi [395], et modo caritas ipsa non sit ficta, nec ipse in praelio fictus fidelis inveniatur, parum habet quod ut seductor habeatur [396] et astutus dolosusque dicatur ab hominibus [397]. Sed ad haec quis idoneus?

## Scholion

*Theoria de abusu vocum in mendacio.*

169. Breviter nunc tandem dimittere oportet usitatissimam explicationem malitiae mendacii, quae desumitur *ex abusu vocum*: ex eo nempe quod in omni sermone falso usus vocum fieret contra naturam ipsarum, quippe quae institutae fuissent ad significandos animi sensus et conceptus.

Notandum est quod, etiam si constaret mendacium reapse continere huiusmodi usum vocum contra earundem institutum, exinde non posset resultare formalem malitiam moralem intrinsecam mendacii, prout ostensum est nn. 13 ss., de abusu naturae in genere. At negandum est dictum vocum abusum inesse mendacio.

Constat enim primo usum vocum minime coartari ad indicandam mentis sententiam, sed extendi ad imperandum, ad fabulandum, recitandum, jocandum, etc. (*De mend.*, n. 2). Insuper voces funguntur officio suo indicativo proprio, seu formaliter significativo, quandocumque men-

---

393 2 Cor., 1, 17. 394 1 Cor., 9, 19-23.
395 2 Cor., 5, 14. 396 2 Cor., 6, 6-8. 397 2 Cor., 12, 16.

talem illam propositionem forinsecus interpretantur, quam exprimere *intendimus*, sive vera, sive falsa sit propositio exprimenda, id est sive respondeat animi sententiae, sive non. Voces e quibus formatur externa aliqua propositio non ordinantur ad ipsam *iudicii* veritatem in propositione manifestandam, sed ad *conceptus* interpretationem exactis vocibus promendam. Voces ex seipsis non subordinantur veritati primariae, quae est intellectus « componentis et dividentis », sed veritati secundariae, quae est intellectus « formantis quidditates ». Ad rem S. Albertus Magnus:

« Prout signum est simpliciter *ad actum signi relatum*... dicitur *verum* signum quod non fallit in actu significandi. Et hanc veritatem... oratio non amittit propter *rei* significatae mutationem: haec enim oratio 'me sedere', verum signum est eius quod ego sedeam, sive sedeam sive non sedeam; et in hoc non fallit, quia hoc significat recte et vere, quia hoc in quantum signum accepit significare. Signum enim verum est quod recte significat id quod habet significare, et in hoc non fallit »[398].

Voces igitur adimplent officium suum proprium, videlicet significandi conceptum, in mendaci aeque ac in veraci locutione. Deficis in usu vocum quando ex inadvertentia vox alia elabitur lingua praeter illam quam adhibere intendebas; prouti notavit S. Augustinus, verba quidem inordinate proferuntur « cum alia pro aliis verba praeter voluntatem nostram linguae ipsius errore prosiliunt », et proinde « non earum rerum signa, quas in animo habemus, audiuntur ». Sed haec non est inordinatio propria mendacii, « nam mentientes quidem cogitant etiam de iis rebus quas loquuntur, ut tametsi nesciamus an verum dicant, sciamus tamen eos *in animo habere* quod dicunt »[399].

Theoria de abusu vocum ut signorum ambiguitate fulcitur circa rationem « interni », qui dicitur, conceptus,

---

[398] *De principiis*, lib. 6, tr. 1, c. 3. — Cfr. K. VERHOFSTAD, 'Waarheid en Leugen', in *Bijdragen d. Ned. Jez.*, 1 (1938), p. 377 s.

[399] *De magistro*, n. 42.

dum « internum », i. e. « mentale », pro « interno », i. e. « vero » accipit [400].

Quodsi ad testimonium conscientiae tantisper attendatur, constabit neminem unquam in mentiendo erubuisse vocum abusum. Quando male salsus homo inculpatur de mutata positione indicatoris viarum in quadrivio aliquo, numquid damnatur de *abusu* indicatoris, perinde ac si illum sustulisset ut lignis eius uteretur ad domestica? Indicatore usus est ad indicandum quidem; sed pravam, i. e. falsam, indicationem proposuit. Sic et mendacium non est in eo quod voces officio suo non respondeant, indicandi nempe mente conceptam sententiam [401], sed in eo quod talis sententia mente praeconcepta, utpote iudicata falsa, enuntiari et asseri minime debuisset.

170. Theoria tam levis momenti iure praetermitti potuisset, nisi saepius hodiedum usurparetur, utpote in qua fulcitur theoria restrictionis mentalis, prout notatum est n. 76. Iuvabit etiam eam exposuisse, ne ulterius imputetur S. Thomae, ex superficiali consideratione litterae Doctoris [402] decerptae e complexu doctrinae. Neque enim supponere licet S. Thomam, dum tractaret de manifestatione cognitionis, confudisse primariam et secundariam veritatis rationem, quas tanta cum sollicitudine distinxit [403]. In argumento proposito S. Thomas non considerat voces qua tales, nec ut signa disiuncta, sed prout integrantur in verbo externo, seu in locutione, quae nata est exprimere et significare hominem loquentem [404]. Doctrina Sancti est illa

---

[400] *In* 1. *Sent.*, d. 27, q. 2, a. 1.

[401] Notandum tamen est quod ' mendacium ' a ' mendo ' derivatur.

[402] *Sum. theol.*, 2a-2ae, q. 110, a. 3; *In* 3. *Sent.*, d. 38, q. 1; a. 3, ad 5m; *Quodl.* 8, a. 14, etc. Doctrinam S. Thomae diserte enucleavit. V. WARNACH, in ' Das äussere Sprechen und seine Funktionen nach der Lehre des hl. Th. v. Aquin ', *Divus Thomas*, 1938, pp. 393 ss. Cfr. eiusdem auctoris, ' Erkennen und Sprechen bei Th. v. Aquin ', ibidem, 1937, pp. 189 ss.

[403] Cfr. *De veritate*, q. 1, a. 3.

[404] Cfr. *Sum. theol.*, 1a, q. 34, a. 1: « Vox quae non est significativa verbum dici non potest. Ex hoc ergo dicitur verbum vox

quam retulit ex Philosopho, in qua, praescindendo ex professo a respectu sociali [405], signum *hominis* confertur cum homine in quantum est expressivum hominis, secundum conceptum graecum veritatis ut « non absconsio » rei.

« Ostendit quod in dictis habitibus sit laudabile et vituperabile. Et dicit quod mendacium secundum se est pravum et fugiendum, verum autem bonum et laudabile. Ad hoc enim signa sunt instituta quod repraesentent res secundum quod sunt. Et ideo si aliquis repraesentat rem aliter quam sit, mentiendo, inordinate agit et vitiose. Qui autem verum dicit, ordinate agit et virtuose [406].

Nota particulam, « si aliquis repraesentet rem aliter quam sit »; ubi clare enuntiatam habes rationem vitii quam tangit Angelicus: non abusum signi ut rei cuiusdam materialiter consideratae, sed depravationem actionis repraesentativae totaliter sumptae, prout diximus. Quod autem S. Thomas voces ipsas in se sumptas non considerat ut subiectum sed ut instrumenta tantum mendacii, nec abusum vocum, materialiter sumptum, ut essentiam mendacii, patet etiam ex eius modo loquendi, e. g.:

« Vox homini principaliter data est ad significandum. Unde omne signum quo quis aliquid significat, nomine vocis intelligitur, et eo mendacium perfici potest, sicut patet in signis et nutibus monachorum » [407].

Positio huius tertiae partis reapse coincidit cum doctrina S. Thomae, in quantum simulationem veracitatis, mendacio necnon falsiloquio simplici intrinsecam, habet ut inordinationem in genere moris. Rationem materialem huius pravitatis determinare conati sumus, quae nihil aliud est, ut remur, nisi corollarium positionis S. Thomae circa malitiam « ex indebita materia »; concessimus malitiam *per se* formalem falsiloquii, etiam non perfidi, malitiam

---

exterior, quia significat interiorem mentis conceptum ». Cfr. 2a-2ae, q. 110, a. 3, ad 6m; *Verit.*, 23, 3, ad 2m, etc.

[405] Cfr. n. 34, et notam 89.

[406] S. THOMAS, *In Ethicam*, lib. 4, lect. 15, n. 837.

[407] *In 3. Sent.*, d. 38, q. 1, a. 1, ad 2m.

vero *intrinsecam* non formalem, sed materialem tantum, secundum quod « actus exterior est materialis respectu interioris actus »[408].

## Conclusio

Species moralis mendacii determinatur per fidei violationem; et ideo quandocumque commercium fidei hic et nunc per accidens suspenditur in humanis relationibus, occurrere nequit ipsa mendacii ratio propria cum malitia sua formali intrinseca, etiamsi sermo falsus proferatur.

Sermo tamen iste falsus, utpote semper materialiter pravus, etiamsi perfidiae labe non infectus, inculpate proferri non poterit, nisi ut immediata et hic et nunc unica possibilis vitatio peccati formalis, necnon cum integra aversione strictoque moderamine falsitatis.

Attendendi igitur sunt limites obiectivi falsitatis in sermone, ut absque caritatis sinceritatisve damno apte suaviterque servetur necessaria in omnibus discretio.

## INDEX

Introductio (tom. 32, pp. 5-12). I. Auctoritas praecipua, p. 5. - Limites, p. 8.

PRIMA PARS - DE GRADIBUS DEFORMITATIS ACTUUM (tom. 32, pp. 13-58)

*Prolegomenon*. I. Status quaestionis, p. 13. — II. Notio descriptiva mendacii, p. 14. — III. Maior argumenti, p. 15.

Sectio prima - De intrinsecitate

I. Intrinsecitas concreta; intrinsecitas formalis, p. 16. — II. Distinctio quaestionum apud S. Augustinum, p. 17. — III. Applicatio distinctionis falsiloquio, p. 19.

---

[408] *De veritate*, q. 25, a. 5, ad 10m. Cfr. n. 36.

Sectio secunda - De inordinatione in genere naturae

I. Argumenta ex abusu naturae, p. 20. — II. Inordinatio in genere naturae, — in genere moris, p. 23. — III. Regula moralitatis circa inordinationes in genere naturae, p. 27. — IV. Mendacii inordinationes in genere naturae, p. 30. — *Corollaria.* 1° De peculiari facultate elocutionis, p. 32. — 2° De naturali facultate generativa, p. 33.

Sectio tertia - De pravitate materiali

I. Pravitas materialis, pravitas formalis, p. 33. — II. De actibus materialiter pravis, p. 34. — III. Regula moralitatis circa actus materialiter pravos, p. 38. — IV. Mens S. Augustini circa pravitatem materialem falsiloquii, p. 43. — *Corollarium.* De indecentia, p. 46.

Sectio quarta - De malitia intrinseca

I. De malitia absoluta, p. 47. — II. Condiciones malitiae intrinsecae mendacii, p. 50. — III. Compendium solutionis, p. 51. — *Corollaria.* 1° De perplexitate subiectiva, p. 53. — 2° Confertur malitia luxuriae cum malitia mendacii, p. 55.

SECUNDA PARS - DE SPECIE MENDACII
(tom. 32, pp. 123-171; tom. 33, pp. 5-60)

*Prolegomenon.* Respectus socialis et individualis in ethica locutionis, p. 123.

Sectio prima - De fallacia

De notificatione, p. 125.

Art. I. De obiecto materiali communi mendacii

§ I. *De ratione fallaciae.* — I. Distinctio fallaciae, falsitatis et fallacitatis, p. 126. - II. De intentione fallaci, p. 127. — III. De obiecto fallaciae, p. 130. — IV. De reatu fallaciae, p. 134.

§ II. *Discriminatio fallaciae locutionis.* — I. Distinctio assertionis et sententiae, p. 141. — II. De praesentia vel absentia assertionis, p. 142. — III. De sententiae sensu genuino discriminando, p. 147. A) *Principia*: 1° sensus obiectivus, p. 148; 2° sensus regularis, p. 149; 3° sensus concretus, p. 150. B) *Applicationes*: 1° restrictio mentalis, p. 152;

2° responsio evasiva, p. 156; 3° aequivocatio, p. 159; 4° amphibologia, p. 163.

Art. II. De obiecto materiali proprio mendacii

I. De veritate intima loquentis, p. 164. — II. De universali mendacii fallacia, p. 167. — *Corollarium.* Distinctiones de fallacia, p. 170.

Sectio secunda - De deceptione

De obiecto formali mendacii, p. 5 (tom. 33).

§ I. *De communicatione verbali.* — I. De communicatione in genere, p. 7. — II. De communicatione veritatis, p. 9. — III. De moralitate generali veracitatis, p. 11.

§ II. *De frustratione.* — I. Distinctio frustrationis a deceptione, p. 14. — II. Correlatio frustrationis ad fiduciam, p. 15. — III. Ethica frustrationis, p. 16. — IV. Theoria « debitae » veritatis, p. 17. — V. Reatus frustrationis verbalis, p. 19.

§ III. *De deceptione.* — I. Notio generalis deceptionis et doli, p. 23. — II. Deceptio propria mendacii, p. 26. — III. De reatu deceptionis, p. 28. A) Offensio effectiva, p. 29; B) Offensio personalis, p. 30; C) Gradus offensionis, p. 30. — IV. De deceptione licita, p. 32. — V. De deceptione condonabili, p. 35.

Sectio tertia - De perfidia

§ I. « *Testimonium animae* », *seu de asseveratione.* — I. Testificatio in locutione, p. 37. — II. Testificatio in vita humana, p. 39. — III. Voluntarietas testificationis, p. 40. — IV. Auctoritas testificationis, p. 41.

§ II. *De perfidia mentientis.* — I. Violatio fidelitatis, p. 44. — II. Pactum in locutione, p. 45. — III. Perfidia intrinseca, p. 46. — IV. Definitio mendacii, p. 47.

§ III. *Discriminatio perfidiae.* — I. Limites fundamentales violationis fidelitatis, p. 48. — II. Casuistica fallaciae non perfidae. A) *Locutio illicita*: 1° principium, p. 49; 2° tacita veracitas, p. 50; 3° assertio falsa, non asseverata, p. 51; 4° applicatio solutionis apud S. Thomam, p. 53; 5° diiudicatio materiae fidelitatis, p. 54. B) *Responsio coacta*: 1° interrogatio simpliciter indiscreta, p. 55; 2° interrogatio astuta, p. 56. C) *Materia sociali more reservata*, p. 58.

## TERTIA PARS - DE EXECUTIONE MENDACII
(tom. 34, pp. 157-206)

*Prolegomenon.* I. Obiectum tertiae partis: De immanenti operatione mendacii, p. 157. — De simulatione in genere, p. 159. — II. Divisio tertiae partis. Distinctio simulationis et fictionis, p. 162. — De astutia, p. 163.

Sectio prima - De astutia

§ I. *De fictione.* — I. De falsitate fictionis, p. 164. — II. De fictione *materiali*: 1) Distinctio fictionis materialis et formalis, p. 166. 2) Indifferentia fictionis materialis, p. 167. 3) « astutia bona », p. 170. — III. De fictione *formali*: 1) De reatu formalis fictionis in genere, p. 172. 2) De fictione actus hominis in mendacio, p. 174.

§ II. *De astutia.* — I. De inhonestate intrinseca astutiae proprie dictae mendacii, p. 175. — II. Discriminatio astutiae mendacii a dispensatione falsi sermonis, p. 177.

Sectio secunda - De simulatione

I. De sinceritate loquentis, p. 181. — II. De hypocrisi mentientis, p. 182. — III. De simulatione in simplici falsiloquio, p. 184. — IV. Discriminatio simulationis: A) De dissimulatione, p. 186. B) De duplicatione personae, p. 189. C) « Nescio ... », p. 194. D) Doctrina S. Thomae in proposito, p. 196. E) Manifestatio et exercitatio virtutum, p. 196. — *Corollarium.* De sinceritate cordis, p. 199.

Scholion. Theoria de abusu vocum in mendacio, p. 202.

Conclusio, p. 206.

M. Ledrus, S. I.

# DE POTESTATE IUDICIALI - ADMINISTRATIVA IN ECCLESIA

In Statibus modernis praeter tribunalia iudicialia communia habentur generatim etiam alia organa, quae activitatem iudicialem exercent: tribunalia administrativa, ad quae spectat exercitium iudicationis administrativae.

Habeturne talis iudicatio administrativa etiam in Ecclesia? Legislatio hodierna canonica — Constitutio Apostolica « Sapienti consilio » Pii X. 29.6.1908 [1] et Codex Iuris Canonici distinguit organa administrativa et organa iudicialia. Ad haec spectant negotia natura sua iudicialia, ad illa negotia natura sua administrativa [2]. Altera ex parte habentur varia negotia, quae sub vetere iure potestate iudiciali tractata sunt, quae nunc ordinarie via administrativa componi possunt [3], imo ius vigens non semper excludit, quominus negotium per se iudiciale admittatur ab organo administrativo [4]. Hinc aliqui auctores [5] admittunt in Ec-

---

[1] AAS I 1909 7 ss.

[2] Ordo servandus in Sacris Congregationibus Tribunalibus Officiis Romanae Curiae. Normae peculiares Cap. I. 3. AAS I 1909 61.

[3] E. g. quaestio de validitate s. ordinationis, professionis religiosae solemnis; amotio parochi inamovibilis.

[4] Cf. Normae peculiares Cap. III. 10. AAS I 1909 65.

[5] Praesertim K. Mörsdorf, Die kirchliche Verwaltungsgerichtsbarkeit, in: Festschrift Eduard Eichmann, Paderborn 1940 551 ss (=Vg) magna eruditione hanc sententiam exponit, quam iterum reassumit opere suo clarissimo: Rechtsprechung und Verwaltung im kanonischen Recht, Freiburg i. B. 1941 (=RV). Hoc opus ipse auctor iure vocat « eine formal-systematische Grundlegung der Lehre vom kirchlichen Prozess-und Verwaltungsrecht ». (Introd.). Revera hoc opus est primum in suo genere, quatenus praebet completam synthesim rationum, quibus in Ecclesia potestas iudicialis et administrativa distinguuntur, necnon principiorum, quae modum procedendi utriusque potestatis ac relationem ad invicem determinant.

clesia competere potestatem iudicialem etiam organis administrationis; exercitium huius potestatis iudicialis per organa administrativa vocatur iudicatio administrativa [6], quae distinguitur a iudicatione communi, quae habetur in exercitio potestatis iudicialis per tribunalia iudicialia.

## DE NOTIONE IUDICATIONIS ADMINISTRATIVAE

Quid intelligitur iudicatio administrativa? « Post gallicam rebellionem coeperunt Civitates fere ubique constituere tribunalia quaedam specialia sic dicta administrativa ad quae quis poterat deferre cognoscendas relationes iuridicas, quas haberet cum publica administratione » [7]. Competentia talium tribunalium non est eadem in diversis statibus; officium autem principale eorum ubique est vigilantia in actus administrativos, praesertim quoad eorum legitimitatem, ut ita protegantur iura subiectiva civium contra organa administrativa publica.

Haec notio traditionalis hodie tamquam minus apta et nimis restricta reicitur, quia orta esset ex conceptione liberali de statu. Potius iudicatio administrativa intelligenda dicitur exercitium activitatis iudicialis per organa administrativa, non autem iudicium de actibus administrativis [8]. Haec notio transfertur in ius canonicum, et ita iudicatio administrativa ecclesiastica intelligitur exercitium potestatis iudicialis per organa publica, quibus de se functiones administrativae competunt [9].

Non potest esse dubium, quin studium iuris comparativi magnae utilitatis sit etiam pro iure Ecclesiae, ut natura

---

[6] Non dicitur iurisdictio administrativa, quia iurisdictio in iure canonico non restringitur ad activitatem iudicialem, sed iudicatio administrativa, ut omnis ambiguitas evitetur. Cf. **RV** 29, ubi M. verbum « iudicatio » (=Rechtsprechung) tamquam magis aptum proponit.

[7] F. Roberti, De processibus Vol. I. Romae 1941[2] 166 nota 2

[8] Vg 553 s, RV 111 s.

[9] RV 111.

institutorum canonicorum magis innotescat. Neque loquimur de periculo inferendi in ius canonicum conceptiones, quae naturae speciali iuris Ecclesiae non satisfaciunt; imo concedimus exercitium potestatis iudicialis per organa de se administrativa non repugnare constitutioni Ecclesiae. Etsi enim etiam in Ecclesia ordinarie diversae functiones potestatis publicae attribuuntur diversis organis, ipsa potestas publica Ecclesiae est una, indivisa. Inde negatio iudicationis administrativae ecclesiasticae, quia in Ecclesia « potestas iudicialis nata non est administrativam coarctare » neque « tribunalia possunt actus administrativos sive quoad legitimitatem sive quoad meritum iudicare » [10], non refertur ad notionem recentem, emendatam de iudicatione administrativa; potius refertur ad notionem hucusque quidem traditionalem, quae nunc autem obsoleta dicitur.

Iure autem q u a e r i t u r, num introductio in ius canonicum alicuius notionis, quae in iure civili nullo modo sit clara ac uniformis [11], constituat progressum scientiae iuris canonici. Dubitari potest, num talis notio aequivoca contribuere possit ad maiorem perspicuitatem institutorum iuridicorum Ecclesiae. Ipsa distinctio inter notionem hucusque traditionalem et notionem recentem, emendatam indicat characterem controversum huius notionis. Neque haec notio « emendata » facile ab omnibus admittitur tamquam genuina pro ipso iure civili. Orta enim est cum illa et in illa conceptione « dynamica » status, quae normas « staticas » non agnoscit, quae organa iudicialia subordinat organis administrativis. Talis o r i g o hanc notionem emendatam certo non commendat; a fortiori translatio hu-

---

[10] Roberti o. c. 168 s. Haec argumentatio - quae habetur etiam apud R. Köstler, Kirchliche Verwaltungsgerichtsbarkeit, Zeitschrift für öffentliches Recht, 1938 456 - reicitur Vg 553 nota 11 et RV 111 nota 80, quia supponeret notionem obsoletam de iudicatione administrativa.

[11] Quoad varias notiones et opiniones ca. naturam iudicationis administrativae cf. e. g. Contenzioso amministrativo. Il Digesto Italiano. Vol. VIII. P. II. Torino 1925 864 ss. Giustizia amministrativa. Nuovo Digesto Italiano. Vol. VI. Torino 1938 416 ss. Vel etiam Roberti o. c. 166 nota 2.

ius notionis in ordinationem canonicam haberi debet res valde precaria.

Sed abstrahamus ab hisce praeiudiciis magis formalibus. Quaestio de iudicatione administrativa in Ecclesia estne forte mera quaestio de nomine, lis de verbo? In Ecclesia determinata aliqua negotia, quae primo aspectu videntur esse iudicialia, tractantur ab organis administrativis; modus procedendi saepe est similis modo procedendi stricte iudiciali tribunalium; cur talis activitas non potest dici iudicialis? Concedimus a priori nihil obstare, quominus talis activitas vocetur iudicatio administrativa. Sed terminologia iuridica non est res arbitraria; in quantum hoc est possibile, ipsam naturam rei indicare debet. Revera fautores iudicationis administrativae potestatem iudicialem-administrativam habent speciem distinctam et propriam ipsius potestatis iudicialis [12]; consequenter principia, secundum quae potestas iudicialis exercenda est, applicant etiam ad iudicationem administrativam [13]. Proinde non habetur tantum quaestio de nomine; quaeritur de natura potestatis, qua certa negotia ab organis administrativis tractantur. Quaeritur ideo, num organa administrativa in Ecclesia exerceant veram potestatem iudicialem; num modus, quo procedant, non tantum secundum speciem externam imitetur modum stricte iudicialem, sed sit vere talis natura sua; et consequenter, num organa administrativa in exercitio propriae «iudicationis» ligentur normis, quae statuantur pro exercitio potestatis iudicialis.

---

[12] RV 111.
[13] Cf. infra notam 16.

## DE AMBITU IUDICATIONIS ADMINISTRATIVAE

Antequam ad hanc quaestionem respondeamus, breviter recensemus, qualia negotia attribuantur iudicationi administrativae ab eius fautoribus.

Dicitur ita[14]:

In Curia Romana: S. Officium, etsi tribunal vocatur (can. 1555 § 1), primarie est organum administrationis; proinde tota eius activitas iudicialis habenda est iudicatio administrativa. Congregatio de disciplina Sacramentorum in causis de inconsummatione matrimonii et de dispensatione ab eo, de validitate s. ordinationis ac de obligationibus ordinibus maioribus adnexis exercet iudicationem administrativam. Ad competentiam Congregationis Concilii multa pertinent negotia natura sua iudicialia, e. g. quaestiones ca. officia, beneficia, praecedentiam etc.; procedit eodem modo quo procedebat sub vetere iure; proinde exercet iudicationem administrativam. Congregatio religiosorum iudicationem administrativam exercet in decisione de validitate professionis religiosae (can. 1586 § 3); in dimissione religiosorum, sive ipsa illam decernit, sive confirmat dimissionem a religionis moderatoribus pronuntiatam, sive admittit recursum religiosi dimittendi; tandem in quaestionibus de praecedentia inter religiosos. Congregatio de Propaganda Fide pro locis missionum exercet iudicationem administrativam in omnibus illis negotiis, in quibus ceterae congregationes eam exercent pro locis constitutae hierarchiae. Similiter, imo extensione maiore, Congregatio pro Ecclesia Orientali. Congregatio Sacrorum Rituum in causis beatificationis servorum Dei et canonizationis beatorum exercet iudicationem administrativam; procedit enim modo strictissime iudiciali. Congregatio Caeremonalis exercet iudicationem administrativam

[14] Vg. 559 ss, RV 114 ss.

in controversiis de praecedentia; tales causae enim sunt quaestiones de vero iure subiectivo.

In Dioecesibus: Exercitium iudicationis administrativae habetur in processibus, de quibus in parte III., libri IV., CIC, excepto modo procedendi in suspensione ex informata conscientia infligenda; in hisce processibus enim proceditur modo iudiciali (summario), ac interdum agitur etiam de quaestionibus iuris. Quaestiones de nullitate matrimonii in casibus exceptis (can. 1990 ss.) solvuntur ab ipso episcopo exercitio iudicationis administrativae, quia sunt quaestiones de stricto iure. Tandem tale exercitium habetur in applicatione poenarum canonicarum extra-iudiciali.

In Religionibus: Iudicatio administrativa habetur praesertim in processibus praescriptis pro dimissione religiosorum, qui vota solemnia non habent nec (in religionibus clericalibus exemptis) vota perpetua (can. 647-653). Hic non tantum modus procedendi est similis modo iudiciali, sed dimissio habenda est tamquam poena; poena autem canonica non nisi potestate iudiciali applicari potest.

## DE ARGUMENTIS PRO EXSISTENTIA IUDICATIONIS ADMINISTRATIVAE

Ex illis, quae ita breviter attigimus, resultat: argumentum pro exsistentia iudicationis administrativae in Ecclesia petitur ex duplici capite: Ex natura causae tractandae necnon ex modo procedendi; insuper additur argumentum ex natura causae criminalis.

Quod attinet naturam causarum dicitur ita: Constitutio Apostolica « Sapienti consilio » distinguit inter causas iudiciales et administrativas. Haec distinctio non statuitur ratione organi, a quo res tractatur, sed ratione naturae rei. Causa igitur est iudicialis aut non ita antecedenter ad eius admissionem ab aliquo organo potestatis

publicae in Ecclesia. Causa natura sua iudicialis est omne ius (possessio) contentiosum et omnis actio criminalis. Natura causae determinat, qua potestate tractanda sit. Proinde, si causa iudicialis tractatur ab organo administrativo — sive ex praescripto legis, sive voluntate partium — haec causa retinet propriam naturam, et ita tractatur ab organo administrativo potestate iudiciali[15]. In hoc casu habetur proprie iudicatio administrativa.

Quod attinet modum procedendi dicitur ita: Activitas iudicialis consistit et absolvitur applicatione legis ad casum particularem. Ut talis applicatio quam maxime secura reddatur, speciales normae habentur, secundum quas iudex procedere debet; activitas eius ita est magis ligata. Activitas administrativa, etsi infra limites a lege statutos procedere debet, tendit directe in bonum sociale efficiendum. Ut bono publico consulatur, administrator in modo procedendi non debet esse nimis ligatus; hinc multa relinquuntur arbitrio eius.

Jamvero modus procedendi in aliqua causa, i. e. decisio, num iudicialiter aut administrative procedendum sit, dependet a natura rei tractandae. Si igitur organa administrativa tractant causas iudiciales, tenentur sequi normas pro modo iudiciali statutos[16]. Ita semper observandae sunt normae, quae iure naturali valent pro exercitio potestatis iudicialis[17]; ius positivum pro iudicatione administrativa generatim exigit tantum modum procedendi summarium, sed hic modus est vere iudicialis[18].

---

[15] RV 52 s.

[16] « Da letztere (i. e. organa administrativa) in Ausübung ihrer Rechtsprechungsbefugnisse an die für die richterliche Gewalt aufgestellten Grundsätze gebunden sind, ist die Anerkennung der kirchlichen Verwaltungsgerichtsbarkeit nicht allein für die wissenschaftliche Theorie, sondern in hohem Masse für die kirchliche Verwaltungspraxis von entscheidender Bedeutung ». RV 113.

[17] P. Hofmeister, Von der Entlassung der Religiosen in den klerikalen nicht exemten und in den laikalen Verbänden. Theologische Quartalschrift 1936 410.

[18] P. Hofmeister, Von der gerichtlichen oder gerichtsähnli-

Non habetur quidem in legislatione canonica actuali terminus specificus, quo modus procedendi administrativo-iudicialis designatur, neque habentur normae communes pro exercitio potestatis iudicialis administrativae; normae quae hoc exercitium spectant, variantur secundum diversa negotia [19]. Modus procedendi autem fere semper est simplex et summarius; talis modus summarius procedendi constituit igitur notam characteristicam iudicationis administrativae. Ita exercitium iudicationis administrativae apparet tamquam continuatio exercitii potestatis stricte iudicialis in processu summario iuris antiqui, in processu sic dicto Clementino [20]. Praesertim in iudicatione administrativa episcopi processus Clementinus facile detegitur; similiter in iudicatione administrativa in religionibus. Minus clare directe apparet in iudicatione administrativa Curiae Romanae; attamen etiam hic quod multa negotia procedendi modus in substantialibus derivatur a processu Clementino.

## AESTIMATIO ARGUMENTORUM

a) *De argumento ex natura causarum.*

Quod attinet ad argumentum ex natura causarum, nos hic non intendimus disserere de ratione formali distinctionis inter potestatem iudicialem et administrativam. Omnino admittimus activitatem iudicialem consistere et absolvi applicatione legis ad casum particularem, activitatem administrativam directe

---

chen Gewalt der Ordensoberinnen und ihrer Assistentinnen. Theologisch-praktische Quartalschrift 1934 363.

[19] RV 123 ss.

[20] Cap. 2 in Clem. 2, 1; cap. 2 in Clem. 5, 11. « Summarium iudicium definiri potest iudicium, in quo servatis solemnitatibus quae iure naturali praescribuntur, eae formalitates iuris humani praetermittuntur, quae celerem litis expeditionem retardant ». F. X. Wernz S. J., Ius Decretalium Tom. V. lib. I. Prati 1914 568.

intendere bonum sociale. Iudex definitive facit seu dicit ius inter partes applicando legem ad casum concretum, et ita iudici «observantia legis est finis, imo unicus finis; huic (administratori) est unice limes iuridicus seu terminus ad eius actionem, quae tendit ad finem publicae utilitatis»; administrator procedit «maiore sollicitudine et maiore libertate, quam iudex. Hinc administratori suae sunt potestates seu facultates discretionales, quae dicuntur, ipsi omnino necessariae, quum eius provisiones fundentur potius in rationibus facti quam in strictis rationibus iuris»[21].

Porro admittimus causas esse iudiciales resp. non-iudiciales natura sua interna; proinde distinguuntur antecedenter ad admissionem per aliquod organum potestatis publicae. Hic videtur esse sensus dispositionis: «In expostulationibus ad Sanctam Sedem, si libellus ad S. Rotam delatus est, Decanus cum duobus Auditoribus primis; si ad aliquam Congregationem, ordinarius eiusdem Congressus, de quaestionis natura videbunt, utrum res administrationis ac disciplinae tramite tractanda sit, an summo iure agendum»[22]. Ita revera causae iudiciales natura sua habendae sunt quaestiones contentiosae de iure subiectivo et actiones criminales (can. 1552 § 2, 1667, 1668). Aliae causae sunt administrativae, etsi agitur de defendendo favore legali (i. e. interesse a lege concessum), quod non constituit verum ius subiectivum[23].

Conclusioni autem organa administrativa quoad certas causas exercere potestatem iudicialem consentire non possumus. Etenim obstat dispositio Constitutionis Apostolicae «Sapienti consilio» iubens: «per Sacras Congregationes non amplius recipi nec agnosci causas contentiosas, tam civiles quam criminales, ordinem iudiciarium

---

[21] B. Ojetti S. J., De Romana Curia Romae 1910 20 s. J. Johnson, De distinctione inter potestatem iudicialem et potestatem administrativam in iure canonico. Apollinaris 1936 263 s.

[22] Normae peculiares Cap. I. 3. AAS I 1909 61.

[23] Ojetti o. c. 21 s. Johnson l. c. 264 ss.

cum processu et probationibus requirentes »[24]. Ergo tamquam principium generale statuitur Sacras Congregationes amplius non admittere causas iudiciales; quaestio iudicialis «ad proprios iudices ac sua tribunalia deferatur ad normam iuris communis definienda »[25]. Non excluditur quidem causam de se iudicialem a Sacra Congregatione tractari. Dicitur in eadem lege: «Quaestione semel instituta penes Congregationem aliquam administrationis ac disciplinae tramite, et a partibus admisso aut saltem non recusato hoc agendi modo; his iam non licet eadem de causa actionem stricte iudicialem instituere »[26]. Vix autem — attento principio generali modo memorato, quo actio iudicialis excluditur — haec dispositio intelligenda est de actione iudiciali, quae in hoc casu apud Sacram Congregationem institueretur. Ipsa verba: partibus iam non licet eadem de causa actionem s t r i c t e i u d i c i a l e m instituere, hoc excludunt. Potius actio iudicialis supponitur fieri tantum apud tribunalia, non apud Sacram Congregationem.

A fortiori hoc nobis videtur esse dicendum, quando quaestiones de se iudiciales exclusive reservantur organis administrativis. Eo ipso quod legislator attribuit lege sua causam aliquam organis administrativis, eam non considerat tamquam causam iudicialem, sed tamquam causam p r o p r i a m administratoris. Ergo causa iudicialis mutat naturam suam? Non putamus talem consequentiam necessario esse admittendam. Res aliter explicari potest.

In causa iudiciali (contentiosa) habetur quaestio de iure subiectivo. Jamvero omne ius subiectivum, etiam privatum — in obiecta externa — est limitabile necessitatibus boni communis. Talis necessitas — uti patet: vera, obiectiva — determinat mensuram limitationis iuris subiectivi singulorum. In quantum ius subiectivum legitime limita-

[24] AAS I 1909 15.
[25] Normae peculiares Cap. I. 3. AAS I 1909 61.
[26] Normae peculiares Cap. III. 10. AAS I 1909 65.

tur, in tantum quaestio de tali iure non est quaestio mere personalis, privata singulorum, sed quaestio etiam de iure societatis. Hoc ipso iure naturali infertur [27].

Fortiore ratione haec valent in Ecclesia, quatenus est societas supernaturalis. In Ecclesia non tantum intacta manent iura naturalia fidelium, e. g. in matrimonium, sed insuper Ecclesia agnoscit et confert fidelibus iura subiectiva ordinis supernaturalis [28]. Attamen talia iura non tantum limitabilia sunt necessitatibus boni communis Ecclesiae, sicut in quavis societate, sed iura illa generatim versantur circa bona, quae ipsa essentia sua non sunt bona debita homini. Ordo supernaturalis est ordo gratiae; ita omnia bona huius ordinis homini attribui debent actu positivo Ecclesiae, et semper retinent hanc dependentiam ab auctoritate Ecclesiae. Insuper bonum specificum ordinis supernaturalis etiam personale essentia sua consistit in participatione de bono totius corporis Christi, i. e. Ecclesiae [29].

Proinde in quaestione de iure subiectivo fidelium saepe non habetur mera quaestio iuris personalis, iuris privati, sed insuper quaestio iuris publici. Quaestio contentiosa habere potest respectum socialem, ratione cuius est quaestio propria auctoritati sociali, i. e. administratori, cuius est directe curare bonum publicum Ecclesiae. Quandocumque igitur causa attribuitur organo administrativo, consideratur et tractatur tamquam causa propria administratoris. Causa ita non mutat naturam suam, quia ab initio habet duplicem respectum, personalem et socialem.

Partes attribuendo causam de iure subiectivo organo administrativo consentiunt tractationi causae ratione momenti socialis, quod habet [30]. Neque ita ius subiecti-

---

[27] Cf. W. Bertrams S. J. Das Privatrecht der Kirche. Gregorianum 1944 301 ss.

[28] Cf. Bertrams l. c. 309 s, 314 s.

[29] Cf. Bertrams l. c. 313.

[30] Etiam Mörsdorf RV 52s admittit possibilitatem mutationis naturae iuridicae alicuius causae ex iudiciali in administrativam.

vum partium caret sufficienti protectione. Administrator qua talis quidem directe intendit bonum publicum; ipsum bonum publicum autem exigit securitatem iuridicam et consequenter, ut ius tribuatur ei, cuius sit. Proinde administrator componens quaestionem contentiosam plerumque ad solutionem materialiter eandem perveniet sicuti iudex, si componeret hanc quaestionem.

Si ipsa lex attribuit certas causas, quamvis agatur de iure subiectivo fidelium, exclusive organo administrativo, legislator ita praecipit tales causas semper considerandas esse ratione respectus publici. In hisce casibus b o n u m s o c i a l e censetur praevalere bono privato, etiamsi circa bonum personale, privatum habetur verum ius subiectivum. Exemplum sit modus procedendi in remotione parochorum inamovibilium. « Cum quaestio agitur de parochi inamovibilis amotione vel translatione habetur verum et proprie dictum ius subiectivum, quod regulariter nonnisi per processum iudicialem, et ob causas a iure agnitas, auferri potest. Parochus ius, et non tantum interesse, in paroecia permanendi habet. Consulto dictum est 'regulariter'; nam ex iure positivo, ob causas gravissimas, processu administrativo servato, ut citius animarum saluti consulatur, amoveri potest. Est quaestio hic de bono superiori, nam agitur de periculo animarum. Ius superius praevalet iuri privato parochi; ideoque tuitio iurium parochi ob bonum publicum limitatur. Si bonum publicum hanc limitationem non postulat, id est, si periculum animarum non habetur, episcopus, parocho invito, administrative procedere non potest, nisi speciales facultates a Sede Apostolica obtinuerit » [31].

De cetero neque in hisce causis, i. e. in illis, quae connectuntur cum iure subiectivo fidelium, imo etiamsi connectuntur cum favore legali tantum, deficit omnis p r o t e c t i o i u r i s (vel favoris legalis), quod inspicienti canones de remotione parochorum, contra clericos non residentes etc. statim innotescit. Revera iura et favores lega-

[31] Johnson l. c. 268.

les non limitantur ultra necessitatem boni publici; in quantum bonum publicum non obstat, administrator propter idem bonum publicum intacta relinquere debet iura et favores legales singulorum.

Hinc limitabilitate iuris subiectivi per bonum sociale valore suo non privatur can. 1667, secundum quem « quodlibet ius actione munitur ». Ubicumque habetur ius subiectivum, respectus socialis, qui forte cum obiecto iuris connectitur, ordinarie non est talis, ut ius per illum coarctetur; ea de causa ordinarie omne ius subiectivum actione munitur. Additur autem in eodem canone 1667: « Nisi aliud expresse cautum sit ». Talis negatio actionis semper reducenda est ad necessitatem boni publici, quo ius subiectivum ita limitetur, ut causa potius ratione boni socialis sit tractanda et consequenter ad administratorem pertineat. Tamen iura subiectiva fidelium non amittunt protectionem per actionem stricte iudicialem eo ipso quod dispositio administratoris, e. g. decretum Ordinarii, tangit talia iura [32]; hoc dependet potius a necessitate obiecti iuris pro bono publico [33]. Et ita « si controversia privata longe praecedat interesse publicum, potest integra quaestio etiam de legitimitate actus administrativi tribunalibus committi » [34]. Plerumque tamen in tali casu bonum publicum praevalebit, ita ut causa competentiae iudiciali subtracta sit.

Concludimus itaque argumentum quo iudicatio administrativa in Ecclesia probari dicitur ex natura causarum, quae organis administrativis committuntur, non esse convincens. Organa administrativa causas sibi commissas tractant tamquam causas sibi proprias, et sunt tales natura

---

[32] « Acta administrativa, unde laesio privati iuris manifesto provenerit », possunt « coram iudice impugnari ». S. Rom. Rotae Decisiones seu Sententiae Anni 1928 139.

[33] « Cognitio de validitate et efficacia decreti ... quae non privata iura sed publicum bonum et quidem directe respicit .. non quidem S. R. Rotae est deferenda, sed Sacris Congregationibus reservanda ». Signatura Apostolica. 8.8.1916 AAS VIII 1916 381.

[34] Roberti o. c. 117.

interna, non tantum extrinsece. Proinde tales causae considerantur tamquam administrativae-disciplinares. Consequenter non est ratio cur admittantur causae administrativae-iudiciales, neque habetur nova species iudicationis, scl. iudicatio administrativa.

b) *De argumento ex modo procedendi.*

Quod attinet ad argumentum ex m o d o p r o c e d e n d i in certis negotiis, non est cur negemus processum Clementinum influere in legislationem actualem circa modum procedendi organorum administrationis. Sed potestne inde derivari natura iudicialis activitatis organorum administrationis? Ipsum factum non haberi in legislatione canonica actuali n o r m a s c o m m u n e s pro « iudicatione administrativa », sed tantum normas pro singulis negotiis et secundum singula negotia differentes, sine dubio praeiudicat tali conclusioni.

Porro obstat factum, quod in CIC non amplius adhibentur t e r m i n i quibus in iure antiquo procedendi modus summario-iudicialis designatur [35]. Verba quae nunc in CIC adhibentur — trames disciplinae, in linea disciplinari, via disciplinaris — non reservantur exclusive modo procedendi in causis « administrativis-iudicialibus », sed generaliter adhibentur pro omni activitate administrativa-disciplinari [36]. Quo iure igitur distinguitur via administrativa-disciplinaris et via administrativa-iudicialis?

Haec distinctio eo vel magis negatur, quia etiam pro via « administrativa-iudiciali » adhibentur termini, qui potestatem iudicialem e x c l u d u n t. Ita interpellationes praescriptae pro applicatione privilegii Paulini fieri debent « forma saltem summaria et e x t r a i u d i c i a l i » (can. 1122 § 1). Porro responsum Comm. Int. Cod. separationem

[35] Ita explicite P. Hofmeister, Das summarische Prozessverfahren im Codex Iuris Canonici. Acta Congressus Iuridici Internationalis. Vol. IV. Romae 1937 438, quamvis ipse auctor defendat iudicationem administrativam.

[36] Ita explicite ipse Mörsdorf, RV 93.

coniugum ob causas de quibus in can. 1131 § 1 decernendam statuit « forma administrativa », nisi ab Ordinario aliter statuatur ex officio vel ad instantiam partium [37]. In utroque casu agitur de negotio, quod natura sua viam stricte iudicialem non excludit, in utroque enim casu habetur quaestio de iure subiectivo; ea de causa dicitur « saltem forma extraiudiciali », resp. « nisi ab Ordinario aliter statuatur », i. e. nisi ipse viam stricte iudicialem imponit. Si igitur talia negotia via administrativa tractantur, haberentur — supposita exsistentia iudicationis administrativae — causae administrativae-iudiciales [38].

Praesertim autem distinctio viae administrativae in administrativam-disciplinarem et administrativam-iudicialem excluditur responso Comm. Int. Cod. de casibus exceptis. Quaeritur, « utrum processus, de quo in can. 1990, sit ordinis iudicialis, an administrativi »; et respondetur: « Affirmative ad primam partem, negative ad secundam » [39]. Inde colligitur: Distinctio fit inter ordinem iudicialem et ordinem administrativum; haec disiunctio habetur completa; ordo administrativus-iudicialis ne recensetur quidem. Ordo iudicialis ordinem administrativum excludit et viceversa. Hoc responsum pro nostra quaestione eo maius habet momentum, quod tales casus excepti habentur causae typicae iudicationis administrativae.

Tandem indicium non spernendum pro exclusione viae administrativae-iudicialis in Ecclesia habetur in eo, quod processus illi de quibus in parte III. libri IV. CIC, i. e. causae spectantes ad potestatem « iudicialem-administrativam », terminantur decreto, a quo tamquam re-

---

[37] 25. 6. 1932 AAS XXIV 1932 284.

[38] Mörsdorf RV 96 verba: « forma saltem summaria et extraiudiciali » (can. 1122 § 1) recte de actu mere administrativo intelligit; attamen non apparet, cur - eius theoria de iudicatione administrativa supposita - in hoc casu non habeatur causa administrativa-iudicialis, quia causae primarie natura sua distinguuntur, et ita causa iudicialis maneret talis, etiamsi ab organo administrativo absolvitur.

[39] 6. 12. 1943. AAS XXXVI 1944 94.

medium datur recursus (can. 2146 § 1). Causae iudiciales autem terminantur sententia, a qua tamquam remedium datur appellatio [40].

Concludimus itaque argumentum quo iudicatio administrativa in Ecclesia probari dicitur ex modo procedendi organorum administrationis in certis causis non esse convincens. Legislatio canonica hodierna distinguit inter modum procedendi stricte iudicialem et modum non-iudicialem; hic modus non-iudicialis admittit quidem distinctionem, prouti agitur « de rebus gratiae » aut « de causis ordinis disciplinam et administrationem spectantis » [41], non autem admittit distinctionem in causas quae via administrativa-disciplinari vel via administrativa-iudiciali tractandae sunt.

c) *De argumento ex natura causae criminalis.*

Illa quae hucusque dicta sunt applicanda sunt etiam ad inflictionem poenarum per organa administrativa. Causa criminalis fori externi est semper simul causa personalis, privata et causa publica; est causa publica, quatenus delictum canonicum est violatio ordinis socialis Ecclesiae; est causa personalis, privata, quatenus omnis condemnatio ac inflictio poenae est diffamatoria, et ita diminuit vel aufert honorem delinquentis.

In causa criminali autem non potest simpliciter appellari ad principium ius privatum limitari necessitatibus boni publici. Etenim honor personalis innocentis est intangibilis; neque unquam bonum publicum exigere potest punitionem innocentis. Poena natura sua supponit violationem ordinis socialis, et quidem violationem formalem, i. e. liberam, culpabilem. Antequam constet de tali violatione formali, non potest aliquis condemnari nec potest infligi poena. Hinc in causa criminali latet semper etiam

---

[40] Mörsdorf Vg 580 s etiam hoc concedit; negat tamen inde fieri posse argumentum, quia terminologia codicis constans non esset.

[41] Normae peculiares Cap. III. Art. I. II. AAS I 1909 62, 64.

quaestio de iure personali in honorem et bonam famam. Ratione huius quaestionis iuris omnis causa criminalis, poenalis consideratur tamquam causa natura sua iudicialis.

Altera ex parte delictum patratum est ordinis socialis violatio saltem materialis; imo delictum mere materialiter tale potest habere consequentias funestas publicas. Ratione laesionis ordinis socialis, etsi mere materialis, et ratione periculi publici omnis causa criminalis non est quaestio de iure personali in honorem et bonam famam, sed causa publica. Sub hoc respectu finis directe intentus in causa criminali non est applicatio legis ad casum particularem, sed bonum sociale, i. e. restitutio ordinis socialis laesi, quae inflictione poenae efficitur. Tantum quia hic finis causae criminalis obtineri non debet neglecto iure innocentis in honorem, causa criminalis per se est causa iudicialis.

Attamen, si delictum in foro externo certum est, certum formaliter, non iam habetur quaestio de iure personali in honorem et bonam famam, quia haec ipso facto quod delictum qua tale cum certitudine innotescit, amittuntur. Pro hoc casu bene intelligitur, quod administrator publicus reparationem ordinis socialis intendere potest modo qui ei videtur magis conveniens et efficax, a. v. intelligitur inflictio poenae, quin observentur multae formalitates. Revera « poenitentia, remedium poenale, excommunicatio, suspensio, interdictum, dummodo delictum certum sit, infligi possunt etiam per modum praecepti extra iudicium ». (can. 1933 § 4). Haec dispositio legis igitur positive permittit inflictionem poenae extra iudicium, i. e. sine processu stricte iudiciali. Tamquam conditio ponitur certitudo de patrato delicto.

Hinc concludimus institutionem processus in Ecclesia tendere primarie ad certitudinem de delicto habendam. Si haec certitudo aliunde habetur, deficit ratio primaria pro processu stricte iudiciali. Altera ex parte sine dubio formae iudiciales permittunt iudici, ut securiore modo exa-

minet imputabilitatem delinquentis, necnon ut ponderet accuratius causas quae imputabilitatem minuant aut aggravent. Utrum igitur enumeratio poenarum, quae extra iudicium infligi possint, sit completa (can. 1933 § 4) necne, certo inflictio poenae vindicativae gravissimae (depositio, privatio perpetua habitus ecclesiastici, degradatio, infamia iuris) extra iudicium fieri nequit [42]. Si talis poena gravissima infligitur, periculum ponendi actum iniustitiae quam maxime exeludi debet necnon externum modum quo infligitur poena, quam maxime solemnem esse oportet, ut delinquens convincatur de gravitate delicti commissi ac de circumspectione cum qua puniatur [43]. Bonum publicum in tali casu vix patitur detrimentum, quia inflictionem talis poenae gravissimae generatim aliae poenae praecesserunt, quibus imminens periculum pro bono publico excluditur. Ita deficit ratio principalis pro inflictione poenae extra iudicium.

Concludimus itaque argumentum quo iudicatio administrativa in Ecclesia probari dicitur ex possibilitate infligendi poenas canonicas extra iudicium non esse convincens. Inflictio poenae extra iudicium bene explicatur tamquam causa administrativa-disciplinaris; fieri enim potest tantum, si ius in honorem et bonam famam delicto certo iam amissum est, ita ut habeatur causa administratori propria.

## CONCLUSIO

Secundum ea quae dicta sunt, organa administrativa in Ecclesia non videntur exercere activitatem proprie iudicialem; causas sibi commissas non tractant tamquam causas iudiciales, sed tamquam causas sibi proprias; neque habetur proprius modus iudicialis procedendi talium organorum. Imo, etsi in certis causis modus procedendi imi-

---

42 RV 103.

43 Cf. K. Hofmann, Das Verwaltungsstrafverfahren im kanonischen Recht. Kirchenrechtliche Abhandlungen. Heft 117-118 (Festschrift Ulrich Stutz) Stuttgart 1938 473.

tatur modum iudicialem, inde non videtur derivari posse activitatem circa tales causas esse iudicialem. Formae iudiciales praebent maiorem certitudinem et securitatem in modo procedendi, qualis speciali ratione requiritur in causis iudicialibus; propterea vocantur formalitates « iudiciales ». Ex se autem sunt indifferentes circa activitatem, in qua applicantur. Ita etiam adhibentur in negotiis natura sua non-iudicialibus, si haec sunt talia, ut cum summa cautione procedendum sit. Haec videtur esse ratio, propter quam formae iudiciales adhibentur e. g. in causis beatificationis servorum Dei et canonizationis beatorum[44].

Formae « iudiciales » ex se itaque non restringuntur ad activitatem iudicialem; proinde ex earum applicatione non potest concludi ad exercitium potestatis iudicialis. Potestatem iudicialem tantum illa organa habent, quae tractant causas natura sua iudiciales qua tales[45]. Cum organa administrativa in Ecclesia non tractent tales causas qua iudiciales, non exercent potestatem iudicialem. Hinc divisioni potestatis iudicialis in potestatem stricte iu-

---

[44] « Quamvis hic non agatur stricto sensu de processu quodam contentioso seu civili, in quo de iure privatarum personarum agatur, cum mortuis iura non sint, nec viventes ius habeant, ut huic vel illi, cum fama etiam sanctitatis demortuo, ab Ecclesia concedatur cultus; cum tamen ad decernendos alicui Servo Dei honores beatificationis, aut alicui Beato solemniorem honorem canonizationis, methodus quaedam adhibenda fuerit statuta ad similitudinem ordinis iudiciarii, ne in causis tanti momenti minus caute procederetur, non immerito iste processus aliis specialibus processibus connumeratur ». Wernz o. c. 575.

[45] Mörsdorf RV § 6 naturam potestatis, quae in aliqua causa exercenda est, determinari dicit natura interna huius causae. Alibi tamen directam relationem affirmat inter naturam potestatis et modum quo exercetur. « Die Art der Gewaltbetätigung wird aber nicht von dem ausübenden Organ her, sondern von dem Charakter der Sache und der Art ihrer Behandlung bestimmt ». RV 113 Ita etiam ex solo modo procedendi concludit ad activitatem iudicialem et potestatem iudicialem, e. g. Vg 559, RV 114 (de modo procedendi S. Cong. Rituum). Potestas iudicialis autem organorum administrationis est in quaestione; a. v. quaeritur, num ex modo exercendi potestatem publicam ad eius naturam concludi possit. Proinde, si hoc supponitur, circulus vitiosus haberi videtur.

dicialem et potestatem iudicialem-administrativam consentire non possumus.

### Consequentia practica.

Ex affirmatione iudicationis administrativae resultat tamquam consequentia practica, quod etiam in activitate « administrativa-iudiciali » observandae sunt normae, quae exercitium potestatis iudicialis respiciunt [46]. Hinc potestas iudicialis-administrativa non potest exerceri e. g. extra territorium (can. 201 § 2), nec in proprium commodum (can. 201 § 2), quia nemo iudex in causa propria, quod tamquam principium iuris naturalis effertur. Hinc habetur e. g. invalida dimissio religiosae a votis temporariis per superiorissam, quae ipsa est pars in causa — non solum qua persona privata, sed etiam ratione officii — propter quam religiosa dimittitur; pariter, si qua religiosa, quae est pars in causa, voto suo in Consilio superiorissae concurrit ad dimissionem, hoc votum habetur invalidum, ita ut dimissionem invalidam reddere possit [47]. Imo generaliter admittitur in quavis dimissione religiosorum exerceri potestatem iudicialem, et ita adscribitur iurisdictio iudicialis pro hoc casu etiam superioribus laicis et ipsis superiorissis [48].

Tales consequentiae vix unquam admittuntur communiter. Non haberetur tantum periculum, quod multae dispositiones organorum administrationis refutarentur sub praetextu eas esse ex partialitate ortas [49], sed insuper deficeret securitas iuridica, si actus administrativi tam facile invalidi esse possent, quia « normae iuris naturalis » circa activitatem iudicialem neglectae essent. Certo

---

[46] Cf. RV § 8 et supra notam 16.

[47] Hofmeister, Theol. prakt. Quartalschrift 1934 374 s.

[48] Hofmeister, Theol. Quartalschrift 1936 405 ss.

[49] De hoc periculo iure loquitur V. Fuchs, Von der gerichtlichen oder gerichtsähnlichen Gewalt der Ordensoberinnen und ihrer Assistentinnen. Theol. prakt. Quartalschrift 1934 811 (contra Hofmeister).

in omnibus causis administrativis quae cum iure subiectivo aut favore legali cuiusvis fidelis, clerici, religiosi connectuntur, administrator rationem habebit huius iuris vel favoris legalis. Ab observantia iustitiae et aequitatis naturalis nunquam excusatur. Interdum etiam prudentia suadebit, ne administrator per seipsum tractet causam, in qua sit « pars ». Alia autem est quaestio, num ex neglectu talis « normae naturalis » actus administrativus sit invalidus. Relate ad hanc quaestionem introductio distinctionis inter actus administrativos-disciplinares et actus administrativos-iudiciales tantum confusionem gignere potest.

Fines immediati administrationis et iudicationis sunt diversi. Organa administrationis natura sua non tendunt in meram, impartialem applicationem legis, activitate independenti inventam; organa administrativa determinantur multis aliis respectibus, non tantum ipsa lege. Proinde non potest esse in favorem iudicationis, si haec adscribitur organis administrativis; iudicatio aliis respectibus determinari non debet nisi ipsa lege. Actus administrativus sit et vocetur administrativus, actus iudicialis sit exclusive talis! Si causa aliqua omnino requirit tractationem iudicialem, hoc non fiat per organa administrativa, sed per tribunalia, ut habeatur tractatio vero sensu iudicialis[50]. Possibilitas tractandi causas de se iudiciales per organa administrativa multa commoda praebere potest; sed tunc clare innotescere debet causam tractari sub alia ratione, i. e. tamquam causam propriam administratoris. W. BERTRAMS, S. I.

---

[50] Ita omnino consentimus conclusioni RV 207: « Die anerkannten Vorteile, die das rein verwaltungsmässige und verwaltungsgerichtliche Vorgehen bieten, dürfen nicht darüber hinwegtäuschen, dass die Formenstrenge des gemeingerichtlichen Weges in Verbindung mit der auch im kanonischen Recht anerkannten Unabhängigkeit der Richter die beste Gewähr dafür ist, dass den Rechtsuchenden ohne Ansehen der Person ihr Recht wird » Cf. etiam: « Ut autem practice quaestiones contentiosae et criminales; cum rerum natura fert, iudicialiter definiantur ipsi vehementer optamus ». Roberti o. c. 122.

# MONUMENTA

## SS. D. N. Pius Pp. XII

### 11 - Allocutio

AD EM.OS PP. DD. CARDINALES, IN FESTO S. EUGENII I PP. BEATISSIMO PATRI FAUSTA OMINANTES

(*AAS.* XXXVII [23 iun. 1945] p. 159).

Nell'accogliere, Venerabili Fratelli, con viva gratitudine gli auguri che a nome di voi tutti il venerando e amatissimo Decano del S. Collegio Ci ha offerti, il Nostro pensiero Ci riporta a ben sei anni addietro, allorchè, in questa medesima ricorrenza, Ci presentavate i vostri voti onomastici, la prima volta dopo la elevazione della Nostra indegna persona alla Cattedra di Pietro.

Il mondo allora era ancora in pace: ma quale pace! e quanto precaria! Col cuore pieno di angoscia, nella perplessità e nella preghiera, Noi Ci chinavamo su questa pace, come chi si china al capezzale d'un agonizzante e con ardente amore si ostina a contenderlo, pur contro ogni speranza, alle strette della morte.

Nelle parole, che allora vi rivolgemmo, traspariva la Nostra dolorosa apprensione per lo scatenarsi di un conflitto, che sembrava farsi sempre più minaccioso, e di cui nessuno avrebbe potuto prevedere nè l'estensione nè la durata.

Il successivo svolgersi degli avvenimenti non soltanto dimostrò fin troppo vere le Nostre previsioni più tristi, ma le ha anzi di gran lunga superate.

Oggi, dopo circa sei anni, le lotte fratricide sono ces-

sate, in una parte almeno di questo mondo devastato dalla guerra. E' una pace — se pure tale può chiamarsi — ben fragile ancora, e che non potrà persistere e consolidarsi se non a prezzo di assidue cure; una pace, la cui tutela impone a tutta la Chiesa, al Pastore e al gregge, gravi e delicatissimi doveri: paziente prudenza, coraggiosa fedeltà, spirito di sacrificio! Tutti son chiamati a consacrarvisi, ciascuno nel suo ufficio e al proprio posto. Nessuno potrà mai apportarvi troppa premura nè troppo zelo.

Quanto a Noi e al Nostro Apostolico Ministero, ben sappiamo, Venerabili Fratelli, di poter fare sicuro assegnamento sulla vostra sapiente collaborazione, sulle vostre incessanti preghiere, sulla vostra inalterabile devozione.

## I

### *La Chiesa e il nazionalsocialismo*

Inter asseclas recentiorum theoriarum circa potestatem civilem suam quisque sententiam non raro confirmare intendit analogia non modo accidentali sed etiam substantiali quae, ut aiunt, existeret inter diversa systemata proposita et potestatem ecclesiasticam. Tria praecipue systemata consideranda veniunt, systema scilicet sic dictum « totalitarium », systema « auctoritativum » et demum systema « modernae democratiae ».

Brevis rei propositae consideratio sufficiet ut appareat evidenter substantiales, quae asseruntur, similitudines nequaquam exsistere.

Ab omnibus admittitur essentiale munus esse cuiuslibet societatis humanae facere et tutam servare unitatem

socialem inter diversa membra. Iam vero, systema sic dictum « totalitarium », cum potestati civili assignet indebitam extensionem — ea enim determinaret sive quoad rem sive quoad modum omnes ordines actionis socialis — non potest requisito essentiali supra descripto satisfacere, sed potius in unitatem vere mechanicam convertet sub auspicio nationis, stirpis vel classis quamlibet vitam propriam, etsi legitimam, personarum, locorum et consociationum.

Status, ut aiunt asseclae huius systematis, est synthesis unica omnium valorum exsistentium in societate, quos indesinenter interpretatur et fovet; hinc quod iure possit in integra vita populi absolute dominari. Immo, Statui incumbit officium interveniendi in tota singulorum vita, ut possit sua auctoritate secura reddi eorum felicitas temporalis. Status consulit simul bono et communitatis et singulorum; quoad hos autem id nequit facere nisi per communitatem et in communitate. Status dicitur omnipotens tum quoad singulos subditos tum quoad omnem potentiam sive socialem sive intellectualem intra suos limites exsistentem; immo Status, cui competit etiam potestas distinguendi bonum a malo, in fine sibi proprio persequendo nullam rationem habere debet restrictionum nomine vel religionis vel iuris naturalis impositarum. Asseritur quandoque, etiam admissis omnibus quae praecedunt, libertates essentiales naturae humanae intactas relinqui; eas tamen nullibi descriptas multoque minus observatas invenies. Verius tamen tenent alii Statum in systemate proposito haberi fontem unicum omnium iurium; conceduntur utique civibus aliquae facultates, quas tamen absque iniuria posset Status supprimere, cum non habeat obligationem reverendi ullum personae humanae ius.

Ex huiusmodi mentis habitu ac cogitandi modo non possunt non sequi sequelae potissimum funestae recto exercitio potestatis iudicialis; semel enim ac decisiones iudiciariae debeant dependere ab instinctu collectivo, continuis

mutationibus obnoxio, actum est de aequalitate qua omnes cives gaudeant necesse est sive coram lege sive apud tribunalia. Qua de re, systema supra propositum haud posse cum doctrina Ecclesiae circa originem potestatis iudicialis eiusque exercitium ullo modo conciliari nemo est qui non videat. Relationes namque iuridicae tum inter singulos homines tum etiam societatem inter et cives, ut iam antea docuerat S. Pontifex, perspicuo quodam fundamento iuridico innitantur oportet, et insuper tutela potestatis iudiciariae gaudere cum casus ferat. Sunt tamen qui Ecclesiam audeant vocare primam conditricem regiminis « totalitarii », quo quid absurdius? Ecclesia enim complectitur illa omnia et sola illa, quae respiciunt salutem animarum ac in sua actione exercenda, salvis semper iuribus personae humanae, persequitur bonum spirituale cuiusque et non potentiam fictitii cuiusdam idoli ab hominibus somniati.

Nec vero alterum systema sic dictum « auctoritativum » potest illam unitatem stabilem inter diversa membra parere vel iam exsistentem conservare. Cum enim cives a quolibet efficaci influxu in voluntatem socialem efficiendam excludantur, sponte fit ut societas veluti in duas classes scissa appareat, quarum altera dominatum exercet, altera vero iugum subiectionis portat. In hac autem rerum condicione relationes mutuae aut erunt mechanicae, utpote vi impositae, aut merum fundamentum biologicum habebunt. Ideo etiam in hoc systemate natura potestatis civilis pervertitur. Haec enim constanter illuc tendere debet, sc. ut Status fiat vera quaedam communitas, in qua vinculum coniunctionis sit conspiratio omnium membrorum in bonum commune. Sed in casu proposito bonum commune facile confunditur cum unius classis dominatricis commodo et sic dictus « dynamismus » in legibus ferendis quamlibet securitatem iuridicam, quae est elementum essentiale veri ordinis iudiciarii, penitus evertit. Nunquam autem in Ecclesia iura essentialia personarum sive physicarum sive

moralium poterunt vi huiusmodi irrequieti impulsus aut supprimi aut suffocari; nihil igitur commune habet constitutio hierarchica Ecclesiae cum systemate praedicto.

Venit demum consideranda forma democratica regiminis civilis, in qua nonnulli vellent substantialem similitudinem videre cum potestate ecclesiastica. Sane in forma democratica rite ad praxim deducta consulitur satis requisito cuiuslibet solidae communitatis antea memorato. Id autem obtineri potest etiam sub aliis formis legitimis regendi, nam ut sapienter monuit Leo XIII in Encycl. « Immortale Dei », ius imperii per se non est cum ulla reipublicae forma necessario copulatum; aliam sibi vel aliam assumere recte potest, modo utilitatis bonique communis reapse efficientem. Haec autem stricta obligatio instituendi gubernium capax ad consulendum bono communi oblivioni traditur saepe a non paucis sic dictis fautoribus « democratiae », qui suo agendi modo impediunt securitatem et stabilitatem in rebus publicis gerendis. Nulla per se reprehenditur ex variis reipublicae formis, ut quae nihil habent quod doctrinae catholicae repugnet, eaedemque possunt, si sapienter adhibeantur et iuste, in optimo statu conservare civitatem. Populi medii aevi spiritu evangelico imbuti factis demonstrarunt fidem christianam capacem esse dandi vitam verae et proprie dictae democratiae; immo eiusdem unicum fundamentum stabile haec fides dicenda est, cum systema democraticum mancum atque labile fiat semper, ubi primum deficiat concordia in principiis essentialibus vitae socialis acceptandis, iis potissimum quae vel respiciunt iura Dei dignitatemque personae humanae vel honestam actionem ac libertatem singulorum, etiam in ordine politico, defendunt. Clarissime vero innotescit distinctio quae exsistit Ecclesiam inter et Statum sub forma democratica constitutum, si attentius consideretur assertio, cui libenter fautores « democratiae » adhaerent, statuens populum esse primarium subiectum cui adhaeret immediate auctoritas civilis suprema proveniens a Deo.

## Vera natura potestatis iudicialis in Ecclesia

Ratio vero ultima harum discrepantiarum stat in eo quod potestas ecclesiastica universa et consequenter etiam iudicialis essentialiter differat a potestate civili. Quod ut penitius intelligatur, respicienda est attente origo Ecclesiae. Haec enim ortum ducit non ab impulsu naturae, qua sumus praediti, sed a positivo actu Christi, qui ultra id quod natura humana praestat vel exigit Ecclesiam suam constituit in maximum animarum bonum. Christus Dominus vero positivo actu determinavit non modo ut Ecclesia sit sed etiam ut tali modo sit. Ea ergo est a nobis acceptanda et conservanda qualis fuit a Christo Domino instituta.

Quicumque vero diligenter perpendere velit loca evangeliorum in quibus agitur tum de facultate offerendi sacrificium Deo remittendique peccata tum de promissione et collatione potestatis supremae facta Petro eiusque singulis successoribus personaliter vel de facultate quodcumque ligandi et solvendi communicata apostolis ac de missione universali eisdem concredita, illa ipsa quam a Patre caelesti acceperat Christus, dubitare non poterit quin munera docendi, sacrificandi et regendi, quibus constituitur potestas suprema in Ecclesia, collata fuerint a Christo apostolis, quos ipse elegerat, non autem fidelium communitati. Hac ratione constituta Ecclesia perennis erit, cum assistentia specialis Christi, hac in re omnino necessaria, promissa fuerit apostolis eorumque legitimis successoribus (Matth. 28, 20).

Populus ergo, qui nihil conferre potuit ad condendam hoc vel alio modo Ecclesiam, nullum ius habet ad mutandum regimen in ea a Christo Domino institutum.

Proceditur enim in Ecclesia condenda non ab imis ad superiora, ut fit in Statu, sed a summo ad inferiora. Punctum centrale constitutionis Ecclesiae, ut patet ex citatis

locis evangelicis et ex historia, est missio a Christo Domino collata ministris operae suae redemptricis ut munus suum legitime exerceant tum apud fideles tum apud omnes alios qui extra Ecclesiam adhuc versantur. Absque hac missione nemo in hoc sanctissimum munus se intrudere potest. Ex alia parte populus vel quaelibet potestas saecularis omnino est incompetens ad hanc missionem conferendam. Sane, decursu saeculorum interventus horum elementorum habitus est ad designandas personas quibus munera ecclesiastica conferrentur, sed auctoritas ipsa regendi nunquam venit ab iisdem; ea obtinetur exclusive canonica missione competentis auctoritatis ecclesiasticae, excepto supremo pontificatu, in quo ipsomet iure divino adest, adimpleta condicione legitimae electionis subiecti eiusdemque acceptationis. Sane, homines rite edocti tenentur ingredi Ecclesiam in qua gaudebunt iuribus sibi a Christo datis.

Ex hac autem exclusione laicorum in conferenda potestate ecclesiastica minime sequitur hierarchiam sacram fieri veluti circulum clausum, ad quem aditus non pateat nisi determinatis familiis vel coetibus. Contra, quotquot apti inveniantur, licet ex humillima familia procedant, possunt evehi ad quoslibet gradus hierarchiae ecclesiasticae, ipso pontificatu supremo non excluso. Aliis verbis, omnes cuiuscumque gentis vel condicionis sint, possunt fieri membra hierarchiae ecclesiasticae, cum id unum excludatur, interventus sc. laicorum in ipsa elatione. Exinde sponte sequitur ministros sacros nullam debere populo fideli vel potestati civili reddere rationem exercitii muneris sibi commissi; uni Deo subiacet in hac re S. Pontifex, reliqui vero propriis superioribus ecclesiasticis, ad quos accedere possunt fideles, quando casus occurrat, legitimas querelas exhibituri.

Quae hucusque dicta sunt, duabus sequentibus propositionibus possunt comprehendi: 1 - In Ecclesia, aliter ac in Statu, nec subiectum primum auctoritatis nec iudex supremus nec ultimus gradus appellationis potest esse un-

quam communitas fidelium. In Ecclesia, prout est ea fundata a Christo, nullus datur locus tribunali sic dicto populari vel potestati iudiciali provenienti ex ipsa multitudine. 2 - Extensio potestatis ecclesiasticae dimetienda est potissimum ex voluntate Christi, qui voluit ut homo in propriis actionibus sive externis sive internis dirigendis subiceretur legi evangelicae, quam custodiendam et urgendam in utroque foro commisit Ecclesiae. Magna utique extensio, quae tamen unice eo spectat ut libertas perfectioque personae humanae in tuto collocetur, remotis quibuslibet erroribus et vitiis quae non nisi infamiam et servitutem secum ferre possunt.

Cum Ecclesia fuerit a Christo Domino veluti societas externa, suprema et independens instituta, quem characterem possidet etiam Status in suo ordine, sponte factum est ut non paucae analogiae inter utramque societatem adsint. Hae autem non debent nos inducere ad plenam aequiparationem inter Ecclesiam et Statum in ordine iuridico faciendam, nulla habita ratione peculiaris indolis Ecclesiae tum quoad finem sibi proprium tum etiam quoad ipsum modum regiminis. Secus fieri non poterit quin non raro vel damnosae controversiae vel saltem molestae confusiones oboriantur. Qua diligentia origo et natura Status perpenduntur, eadem deberent quoque examinari origo et natura Ecclesiae ab iis qui in comparatione instituenda inter utramque societatem fructuosum laborem facere vellent.

PH. AGUIRRE, S. I.

## SS. D. N. Pius Pp. XII

## 13 - Allocutio

AD ADSCRIPTOS SOCIETATIBUS CHRISTIANIS OPERARIORUM ITALICORUM, DIE 11 MENSIS MARTII ANNO 1945, EX ITALIAE DIOECESIBUS ROMAE COADUNATOS.

(*AAS.* XXXVII [26 mart. 1945] p. 68).

Il nostro Predecessore di santa memoria Pio XI, commemorando la immortale Enciclica *Rerum novarum* di Leone XIII, ricordò con quale letizia essa fu accolta dai lavoratori cristiani, « i quali si sentirono protetti e difesi dalla più alta Autorità della terra »[1]. La vostra presenza intorno a Noi, diletti figli, è un attestato, ben dolce al Nostro cuore, che quel sentimento e quella fiducia sono ancor vivi nelle classi lavoratrici. E Noi, che, pienamente conoscendo la loro condizione, vogliamo con tutta l'anima Nostra sostenere la causa dei lavoratori cristiani, ed anzi di tutto il vasto mondo del lavoro, vi diamo con paterno affetto il benvenuto, e, mentre esprimiamo i Nostri più fervidi voti per voi e per le vostre Associazioni, desideriamo di rivolgervi alcune brevi parole d'istruzione e d'incoraggiamento.

1. - E in primo luogo: che cosa sono le Associazioni cattoliche di operai *per i loro membri*? Esse sono innanzi tutto cellule dell'apostolato cristiano moderno. Non già nel senso che possano o debbano sostituirsi alla parrocchia. Ma esse mantengono, coltivano e custodiscono nel mondo del lavoro il fondamento religioso e morale della vita, in una maniera sempre adattata alle particolari circostanze di ogni tempo. Osservate i nemici di Cristo. Essi mettono a profitto tutte le difficoltà e le questioni della vita operaia, per guadagnare l'anima del lavoratore cristiano, per traviare la sua coscienza e finalmente distaccarlo e allontanarlo dal Salvatore divino. Non è forse questa una prova evidente che le Associazioni dei lavoratori cristiani sono oggi un

[1] Encycl. « *Quadragesimo anno* », Introd.

mezzo indispensabile di apostolato? indispensabile anche lá ove il nemico di Cristo non sembra aver ancora preso piede nè dar segni speciali di movimento e di azione, perchè dappertutto le condizioni pratiche e i bisogni quotidiani del lavoro salariato sconvolgono le menti anche di uomini profondamente credenti e sollevano problemi che, mentre toccano gl'interessi religiosi e morali, richiedono il soccorso e l'assistenza della Chiesa. Portate dunque, per mezzo delle vostre Associazioni, i principi della fede e una solida formazione cristiana nella vita religiosa e morale del lavoratore e della sua famiglia: fate delle Associazioni stesse altrettanti centri di una vita spirituale che riccamente alimentata dai Sacramenti, espande i suoi benefici frutti nelle parole e negli atti di una mutua caritá veramente evangelica. Fermamente stabilito su questo saldo fondamento, il lavoratore cristiano troverà in pari tempo nelle Associazioni la possibilità di estendere il suo sapere e il suo potere agli altri campi della vita privata e pubblica. Ma soprattutto una tale Associazione deve contribuire a rendere la famiglia del lavoratore cristiano atta, non meno, anzi ancor più delle altre famiglie, ad educare bene la prole e a governare la casa con vantaggio spirituale e materiale dei suoi membri. Se essa corrisponderá a questa missione, l'Associazione vedrà sorgere dal suo seno veri apostoli, lavoratori fattisi apostoli fra i loro compagni, affine di impregnare ed animare di spirito cristiano tutto ciò che circonda l'operaio, il suo campo di lavoro, il suo focolare domestico, e fino i suoi onesti svaghi.

2. - Ma qui Noi tocchiamo un secondo punto, che Ci sta sommamente a cuore: che cosa rappresentano le Associazioni dei lavoratori cristiani *per le altre istituzioni operaie*? Noi pensiamo qui non solo alle societá di mutua assistenza, come sono, per esempio, le cooperative di consumo, ma anche agli istituti pubblici di assicurazione, per i quali è necessario il contributo dei lavoratori. Voi tutti sapete quanto il buon successo di simili imprese, per sè

salutari e proficue, dipenda dalla probità, dalla onestá e dalla mutua fiducia di coloro che ne fanno parte. Voi conoscete anche — e ne fate ogni giorno più l'amara esperienza — le terribili rovine che la guerra con le sue funeste conseguenze ha prodotte nella morale sociale del popolo, rovine ben più gravi degli stessi ingenti danni materiali. l ceto operaio senza quelle virtù cristiane diverrebbe il peggiore nemico di se stesso. Nella lotta contro questo pericolo le Associazioni cristiane forniscono alle altre società e opere di assistenza delle classi lavoratrici un aiuto prezioso. Se infatti esse saranno il vivaio delle virtù sociali, della rettitudine, della fedeltà, della coscienziosità, procureranno alle altre istituzioni i loro migliori membri, i loro più sicuri dirigenti, uomini e donne, che sapranno suscitare e mantenere vivo lo spirito di responsabilitá e di solidarietà, senza il quale nessuna mutualità, nessuna assicurazione può prosperare, quello spirito che l'Apostolo Paolo qualificava con le mirabili parole: « *Alter alterius onera portate* »[2].

3. - Esaminiamo ora brevemente i rapporti delle Associazioni cristiane *coi Sindacati*. Contrariamente al sistema anteriore si è avuta di recente in Italia la costituzione della unitá sindacale. Noi non possiamo se non attendere ed augurare che le rinunzie consentite con la loro adesione anche da parte dei cattolici non arrechino danno alla loro causa, ma portino il frutto sperato per tutti i lavoratori. Ciò suppone come condizione fondamentale che il Sindacato si mantenga nei limiti del suo scopo essenziale, che è quello di rappresentare e difendere gl'interessi dei lavoratori nei contratti di lavoro. Nell'ambito di questo ufficio il Sindacato esercita naturalmente un influsso sulla politica e sulla pubblica opinione. Ma esso non potrebbe oltrepassare quel limite senza cagionare grave pregiudizio a se stesso. Se mai il Sindacato come tale in virtù della

[2] Gal. 6, 2.

evoluzione politica ed economica venisse ad assumere quasi un patronato o diritto di disporre liberamente del lavoratore, delle forze e dei beni di lui, come avviene altrove, il concetto stesso del Sindacato, che è una unione a scopo di proprio aiuto e difesa, ne rimarrebbe alterato o distrutto. Poste queste premesse, il Sindacato e le Associazioni dei lavoratori cristiani tendono ad un fine comune, che è quello di elevare le condizioni di vita del lavoratore. I dirigenti del nuovo Sindacato unico hanno riconosciuto « l'altissimo contributo spirituale che i lavoratori cattolici portano all'opera della Confederazione » e hanno reso omaggio al « soffio della spiritualità evangelica » che essi infondono nella Confederazione stessa per « il bene di tutto il movimento operaio ». Piaccia a Dio che queste manifestazioni siano stabili ed efficaci e che lo spirito del Vangelo costituisca veramente la base dell'azione sindacale! Poichè in realtà, se non vogliamo contentarci di vane parole, in che cosa consiste praticamente questo spirito del Vangelo se non nel far prevalere i principi della giustizia, secondo l'ordine stabilito da Dio nel mondo, sulla forza puramente meccanica delle organizzazioni, l'amore e la carità sull'odio di classe? Voi comprendete così quale importante dovere ed ufficio d'impulso, di vigilanza, di preparazione e di perfezionamento spetta alle Associazioni dei lavoratori cristiani nei riguardi del lavoro sindacale.

4. - L'adempimento di questo ufficio Ci conduce a considerare un quarto punto: qual parte le Associazioni cristiane dei lavoratori avranno nello stabilimento del *ordine sociale*? Facciamo qui astrazione dal presente stato di cose; esso è anormale e lascia per il momento solo la possibilità di determinare, conforme alle regole della giustizia e dell'equità, la parte rispettiva dei datori di lavoro e degli operai, — e questi secondo le loro diverse categorie — nel sopportare il peso derivante dall'elevato costo della vita. Del resto, anche in condizioni normali, le Associazioni cristiane sanno che non può trattarsi di erigere

a principio stabile dell'ordine sociale il semplice accomodamento od accordo fra le due parti — datori e prestatori di lavoro —, anche se esso sia dettato dal più puro spirito di equità. Quel principio verrebbe infatti a trovarsi in difetto dal momento che l'accordo, in contraddizione col suo proprio senso, abbandonasse il sentiero della giustizia e o si tramutasse in una oppressione o in un illecito sfruttamento del lavoratore ovvero facesse, per esempio, di ciò, che oggi si chiama nazionalizzazione o socializzazione dell'azienda e democratizzazione della economia, un'arma di combattimento e di lotta contro il privato datore di lavoro in quanto tale.

Le Associazioni cristiane assentono alla socializzazione soltanto nei casi in cui apparisce realmente richiesta dal bene comune, vale a dire come l'unico mezzo veramente efficace per rimediare a un abuso o per evitare uno sperpero delle forze produttive del Paese, e per assicurare l'organico ordinamento di queste medesime forze e dirigerle a vantaggio degli interessi economici della nazione, cioè allo scopo che la economia nazionale nel suo regolare e pacifico sviluppo apra la via alla prosperità materiale di tutto il popolo, prosperità tale che costituisca al tempo stesso un sano fondamento anche della vita culturale e religiosa. In ogni caso, poi, esse riconoscono che la socializzazione importa l'obbligo di una congrua indennità, vale a dire calcolata secondo ciò che nelle circostanze concrete è giusto ed equo per tutti gl'interessati.

Quanto alla democratizzazione dell'economia, essa è minacciata non meno dal monopolio, ossia dal despotismo economico di un anonimo conglomerato di capitale privato, che dalla forza preponderante di moltitudini organizzate e pronte ad usare della loro potenza a danno della giustizia e del diritto altrui.

E' giunto ormai il tempo di abbandonare le vuote frasi e di pensare con la *Quadragesimo anno* ad un nuovo ordinamento delle forze produttive del popolo. Al di sopra

cioè, della distinzione fra datori e prestatori di lavoro sappiano gli uomini vedere e riconoscere quella più alta unità la quale lega fra loro tutti quelli che collaborano alla produzione, vale a dire il loro collegamento e la loro solidarietà nel dovere che hanno di provvedere insieme stabilmente al bene comune e ai bisogni di tutta la comunità. Che questa solidarietà si estenda ad ogni ramo della produzione, che divenga il fondamento di un migliore ordine economico, di una sana e giusta autonomia, ed apra alle classi lavoratrici il cammino per acquistare onestamente la loro parte di responsabilità nella condotta della economia nazionale! In tal guisa, grazie a questa armoniosa coordinazione e cooperazione, a questa più intima unione del lavoro con gli altri fattori della vita economica, il lavoratore arriverà a trovare nella sua attività un guadagno tranquillo e sufficiente per il sostentamento suo e della famiglia, una vera soddisfazione del suo spirito e un potente stimolo verso il suo perfezionamento.

Possano le Associazioni cristiane dei lavoratori italiani, in questo tempo di miseria, promuovere la unione e la solidarietà degli uomini in tutta la vita economica! Allora uno spirito nuovo farà sí che il lavoro nazionale valga a superare le difficoltà derivanti dalla ristrettezza dello spazio e dalla penuria dei mezzi.

Il lievito più efficace — possiamo anzi dire il solo veramente efficace — per creare questo senso di solidarietà, sicura guarentigia di rettitudine e di pace sociale, risiede nello spirito del Vangelo e affluisce in voi dal Cuore dell'Uomo-Dio, Salvatore del mondo. Nessun lavoratore ne è stato mai cosí perfettamente e profondamente penetrato, come colui che visse con Cristo nella più stretta e intimità e comunanza di famiglia e di lavoro, il suo Padre putativo, S. Giuseppe.

Sotto il potente patrocinio di Lui Noi poniamo perciò le vostre Associazioni operaie cattoliche, affinchè sia loro dato, in un'ora di cosí gravi risoluzioni e pericoli per tutto

il mondo del lavoro, di corrispondere pienamente alla loro provvidenziale missione. Intanto, come pegno delle più abbondanti grazie divine, impartiamo dal fondo del Nostro cuore a voi, a tutti i membri delle vostre Associazioni, alle vostre famiglie, a tutte le persone che vi sono care, la Nostra paterna Apostolica Benedizione.

## Annotationes

Allocutio ad adscriptos societatibus christianis operariorum Italicorum universaliorem attentionem requirit. Summus Pontifex agens de bono, quod operarii ipsi a talibus societatibus exspectare possunt et debent, implicite omnes associationes catholicorum laudat confirmatque quae fideles sub respectu communis professionis vel eiusdem condicionis socialis colligunt. Unde illi errant et erraverunt, qui putabant formam, quam « Actio catholica » olim sub Pio XI, hic in Italia induit, derivari quasi ex visceribus rei et esse normam pro omnimoda organisatione « Actionis catholicae » ubique terrarum. Re vera nova consociatio operariorum catholicorum Italiae relinquit famosas illas quattuor « Actionis catholicae » columnas, sc. virorum, mulierum, adolescentium et puellarum et loco huius principii unitatis quasi biologici super communi professione et simili condicione sociali se constituit. Immo nexus quoque intimus, quem Actio catholica sub respectu organisatorio secundum mentem Pii XI cum paroeciis et dioecesibus habet, aliquomodo dissolvitur, cum de facto nova consociatio quadam propria directione gaudeat.

Quidquid aliqui theologi de intima natura illius formae « Actionis catholicae » a Pio XI in Italia institutae sub respectu dogmatico profundius scripserint, sociologi est magis realistice constatare illum Summum Pontificem pro ingenio et energia sua organisationis formam potius *temporaneam* creasse, quae vires catholicas cedentes To-

talitarismo Statali tunc vigenti reciperet. Item sociologi est adnotare Ecclesiam organisantem hodie iterum fideles etiam sub respectu professionali et sociali — organisatione locali, sc. per paroecias et dioeceses, prorsus intancta — voci naturae humanae obsecundare et necessitatibus modernae vitae socialis magis perfecte correspondere. Quae Pius XII in hac Allocutione de bono ipsis operariis per suas uniones professionales parando dixit, rationes modo allatas tantopere illustrant et confirmant, ut plura verba de hac re facere superfluum videatur. Insuper solum doctrina et praxis a Leone XIII in Encycl. « Rerum novarum » et a Pio XI in Encycl. « Quadragesimo anno » commendata et approbata renovatur.

Allocutio prosequitur exponendo bonum, quod aliis operariorum institutionibus a societatibus laudatis obvenire potest. Summus Pontifex de unionibus cooperativis pro consumptione et de assecurationibus publicis specialem mentionem facit. Generatim ad associationum multiplicitatem se refert, quae hodie mutui auxilii gratia vitam socialem pervadunt. Omnes istae institutiones sine profundo spiritu responsabilitatis versus bonum commune, sine altissima capacitate intellectuali et morali dirigentium florere nequeunt. Associationis operariorum catholicae erit illis aliis institutionibus membra aptissima et dirigentes habilissimos adducere Sine dubio Pio XII hoc munus operariorum catholicorum maxime cordi est, cum hisce nostris temporibus valde dolendum sit quantopere sensus moralis in rebus publicis detrimentum ceperit.

Summi momenti est Allocutionis pars, quae de relatione inter uniones operariorum catholicas et syndicatum unicum, qui dicitur, agit. Talis syndicatus nuper in Italia erectus est comprehendens et operarios sensu activo catholicos et asseclas socialismi et communismi. Uti etiam ex verbis Summi Pontificis resultat, ante regimen praecedens haec unitas syndicalis in Italia non habebatur. Quomodo supremus Pastor novum factum syndicatus unici di-

judicat? Non possumus non constatare verba Pii XII ullam approbationem positivam non continere. Papa potius notans factum ut completum solum de futura evolutione syndicatus unici loquitur, quam non sine praeoccupatione exspectat.

Qui tempora Pii X et Pii XI recordatur, intelliget, curnam Summus Pontifex in re syndicali tam cautum se habeat. Olim Pius X syndicatum ex catholicis et protestantibus mixtum in Germania admittere noluit, quamquam etiam operarii heterodoxi erant christiani positivi, uti dicitur, immo quamquam talis syndicatus mixtus unice aptus erat ad impediendum, quominus operarii catholici constringerentur syndicatui marxistico cum periculo fidei adhaerere. Denique Pius X syndicatum mixtum modo descriptum pro Germania saltem « toleravit ». Notum est Pium XI in Encycl. « Quadragesimo anno » ulterius progressum esse et syndicatus mixtos sub duabus condicionibus positive approbasse. Altera condicio fundamentum talis syndicatus in indispensabilibus normis juris naturalis respicit, altera providet, ut practer syndicatum mixtum associationes catholicae operariorum pro formatione intellectuali et religiosa exsistant.

Secundo postulato novae associationes christianae operariorum italicorum satisfaciunt, dum pro primo postulato solum certae enuntiationes et promissiones emanatae nuper in Congressu Nationali syndicatus unici Neapoli habita exstant. Propterea Summus Pontifex has declarationes fereverbotenus citat et sperat ipsas verum respectum doctrinae socialis Ecclesiae significare. Insuper syndicatum unicum admonet, ne limites transcendant, qui objectivo scopo omnis syndicatus determinantur, sc. tutela et defensione operariorum in contractu operae libere ineundo. Ratio huius moniti in quibusdam tendentiis hodiernis habetur, quae naturam syndicatus ut associationis liberae et juris privati plane perverterent et syndicatui quemdam dominatum publici juris super operarios concederent. Pius XII

de charactere et functione syndicatus in systemate bolchewistico Russiae cogitat necnon de quibusdam futuri ordinis formis minus aptis, quae mediante et dominante syndicatu proprietatem collectivam operariorum sive quoad singula stabilimenta sive quoad alios titulos financiarios ex proventu annuo oeconomiae hauriendos introducerent. Summus Pontifex timet, ne his viis condicio socialis operariorum universaliter spectata nequaquam melior evadat, cum pro dominatione capitalistae privati facilius solum potentatum organisationis syndicalis mutarent. Quamobrem Allocutio communem quidem finem et associationibus christianis operariorum et syndicatui unico esse agnoscit, attamen ipsis associationibus gravissimum munus vigilantiae et rectae praeparationis hominum relate ad activitatem syndicalem imponit.

Denique Pius XII exponit quae ad novum ordinem socialem Associationes christianae operariorum contribuere possint. Papa supponit delineamenta huius ordinis interim viam sicdictae Politicae socialis sequi, quae organisationibus patronorum et operariorum pactis collectivis inter sese jungendis superstruitur. Commendat utrique parti strictam observantiam justitiae aequitatisque alienam ab omni spiritu et studio dominationis. Unde operarios catholicos monet, ne vestigia marxistarum sequantur, qui socialisatione et democratisatione oeconomiae socialis ut mediis pugnae classium contra privatum laboris datorem ut talem abuti conantur. Summus Pontifex inculcat socialisationem solum in his casibus fieri posse, ubi *unicum* medium evadat, ut finis objectivus oeconomiae nationalis, sc. materialis prosperitas populi ut fundamentum reliquae suae vitae culturalis et religiosae, in tuto sit. Insuper congrua indemnificatio pristinorum proprietariorum postulatur. Haec omnia significant socialisationis consilia debere circumstantiarum concretarum necnon repercussionum in omnimoda sphaera vitae populi respectum tenere. Quae vero de sicdicta democratisatione vitae oeconomicae dicuntur, melius

aequilibrium ab intrinseco restituendum in campo oeconomiae nationalis insinuant, et quidem per maiorem et vastiorem diffusionem proprietatis privatae quoad media productionis. Aliis verbis: Summus Pontifex inclinat democratisationem vitae oeconomicae ut restaurationem coetuum mediorum in omni ramo productionis intelligere, qua directe et magis adhuc indirecte etiam operarii juventur. Certe etiam hoc punctum cum tendentiis marxismi non concordat.

Jamvero in fine Allocutionis Pius XII animos operariorum ulteriorem futuram evolutionem sperare facit. Reassumit sat explicite et, ut nobis videtur, prima vice famosum illud programma sociale Pii XI in Encycl. « Quadragesimo anno » propositum, sc. ideam ordinis corporativi. Haec idea quibusdam depravatis applicationibus aliquatenus diffamata secundum Papam nullum valoris et actualitatis amisit. E contrario novis tendentiis temporum et oeconomicis et moralibus melius correspondet et permittit, cum magis perfecta ordinatione productionis socialis justas aspirationes operariorum jungere, qui secundum doctrinam catholicam non minus quam alii sunt vera subjecta, nequaquam mera objecta oeconomiae nationalis.

G. Gundlach, S. I.

## 14 - Nuntius radiophonicus

A SUMMO PONTIFICE DIE IX MENSIS MAII A. MCMXLV UNIVERSO ORBI DATUS

(*AAS.* xxxvii [21 maii 1945] p. 129).

Ecco alfine terminata questa guerra che, durante quasi sei anni, ha tenuto l'Europa nella stretta delle più atroci sofferenze e delle più amare tristezze. Un grido di riconoscenza umile e ardente sgorga dal più profondo del Nostro cuore verso « il Padre delle misericordie e il Dio di ogni

consolazione »[1]. Ma il Nostro cantico di azioni di grazia si accompagna con una preghiera supplichevole per implorare dalla onnipotenza e dalla bontà divina il termine, secondo giustizia, delle lotte sanguinose anche nell'Estremo Oriente.

Inginocchiati in spirito dinanzi alle tombe, ai burroni sconvolti e rossi di sangue, ove riposano le innumerevoli spoglie di coloro che son caduti vittime dei combattimenti o dei massacri disumani, della fame o della miseria, Noi li raccomandiamo tutti nelle Nostre preghiere, e specialmente nella celebrazione del Santo Sacrificio, al misericordioso amore di Gesù Cristo, loro Salvatore e loro Giudice. E Ci sembra che essi, i caduti, ammoniscano i superstiti dell'immane flagello e dicano loro: Sorgano dalle nostre ossa e dai nostri sepolcri e dalla terra, ove siamo stati gettati come grani di frumento, i plasmatori e gli artefici di una nuova e migliore Europa, di un nuovo e migliore universo, fondato sul timore filiale di Dio, sulla fedeltà ai suoi santi comandamenti, sul rispetto della dignità umana, sul principio sacro della uguaglianza dei diritti per tutti i popoli e tutti gli Stati, grandi e piccoli, deboli e forti.

La guerra ha accumulato tutto un caos di rovine, rovine materiali e rovine morali, come mai il genere umano non ne ha conosciute nel corso di tutta la sua storia. Si tratta ora di riedificare il mondo. Come primo elemento di questa restaurazione, Noi bramiamo di vedere, dopo una così lunga attesa, il ritorno pronto e rapido, per quanto le circostanze lo permettono, dei prigionieri, degl'internati, combattenti e civili, ai loro domestici focolari, verso le loro spose, verso i loro figli, verso i loro nobili lavori di pace.

A tutti poi Noi diciamo: Non lasciate piegare la vostra energia nè abbattersi il vostro coraggio; dedicatevi ardentemente all'opera di ricostruzione, sostenuti da una robusta fede nella Provvidenza divina. Mettetevi al lavoro,

---

[1] 2 *Cor.*, 1, 3.

ognuno al suo posto, risoluto e tenace, col cuore animato da un generoso, indistruttibile amore del prossimo. E' ardua, certamente, ma è pur santa la impresa che vi attende per riparare gl'immediati e disastrosi effetti della guerra: vogliamo dire il disfacimento dei pubblici ordinamenti, la miseria e la fame, il rilasciamento e l'imbarbarimento dei costumi, l'indisciplinatezza della gioventù. In tal guisa, a poco a poco, voi preparerete alle vostre città e ai vostri villaggi, alle vostre provincie e alle patrie vostre, una sorte più accettevole e il vigore di un sangue rinnovato.

Fugata dalla terra, dal mare, dal cielo la morte insidiatrice, assicurata ormai dall'offesa delle armi la vita degli uomini, creature di Dio, e quanto ad essi rimane dei privati e dei comuni averi, gli uomini possono ormai aprire la mente e l'animo alla edificazione della pace.

Se noi ci restringiamo a considerare l'Europa, ci troviamo già dinanzi a problemi e a difficoltà gigantesche, di cui bisogna trionfare, se si vuole spianare il cammino a una pace vera, la sola che possa essere duratura. Essa non può infatti fiorire e prosperare se non in una atmosfera di sicura giustizia e di lealtà perfetta, congiunte con reciproca fiducia, comprensione e benevolenza. La guerra ha suscitato dappertutto discordia, diffidenza ed odio. Se dunque il mondo vuol ricuperare la pace, occorre che spariscano la menzogna e il rancore e in luogo loro dominino sovrane la verità e la carità.

Innanzi tutto pertanto supplichiamo instantemente nelle nostre preghiere quotidiane il Dio d'amore di adempire la sua promessa fatta per bocca del profeta Ezechiele: « Io darò loro un cuore unanime, un nuovo spirito infonderò nel loro interno, e strapperò dalle loro viscere il cuore di sasso e vi sostituirò un cuore di carne, affinchè camminino sulla via dei miei precetti e osservino i miei giudizi e li mettano in pratica, ed essi siano il mio popolo e io sia il loro Dio » [2]. Che il Signore si degni di destare questo

[2] *Ez.*, 11, 19-20.

spirito nuovo, il suo spirito, nei popoli e particolarmente nel cuore di coloro, cui è affidata la cura di stabilire la futura pace! Allora, e allora soltanto, il mondo risuscitato eviterà il ritorno del tremendo flagello e regnerà la vera, stabile e universale fratellanza e quella pace garantita da Cristo anche in terra a chi nella sua legge d'amore vorrà credere e sperare.

## 15 - SS. D. N. Pius Pp. XII

### Constitutio apostolica

DE DUOBUS EPISCOPIS QUI EPISCOPALI CONSECRATIONI ADSUNT

(*AAS.* XXXVII [21 maii 1945] p. 131).

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Episcopalis Consecrationis Ministrum esse Episcopum et ad huius Consecrationis validitatem unum solum sufficere Episcopum, qui cum debita mentis intentione essentiales ritus perficiat, extra omne dubium est diuturnaque praxi comprobatum. A priscis tamen Ecclesiae temporibus plures Episcopi huiusmodi Consecrationi adstiterunt, ac nostra quoque aetate « Pontificalis Romani » auctoritate praescribitur duo alii Episcopi Consecrationi adsint oportere, quamvis in peculiaribus rerum adiunctis a vetere instituto dispensatio concedatur, si Adsistentes haberi nequeant. Utrum vero qui adsunt Episcopi cooperatores et consecratores sint, an testes dumtaxat Consecrationis, non omnibus satis exploratum est eo vel magis quod « Pontificalis Romani » Rubricae, ubi de precibus recitandis agunt, saepe unum Consecratorem singulari numero innuunt, et manifeste non constat Rubricae praescriptionem, quae initio prostat ante Examen Electi — adsistentes videlicet Episcopos submissa voce dicere debere quaecumque dixerit

Consecrator — ad universum pertinere totius Consecrationis ritum.

Exinde factum est ut alicubi Episcopi adsistentes verbis « Pontificalis Romani » inhaerentes, prolatis verbis « Accipe Spiritum Sanctum » dum caput Electi cum Consecratore tangunt, postea ea quae sequuntur non pronuntient; alicubi vero, ut in Urbe, Episcopi non tantum praefata verba, sed submissa voce orationem quoque « Propitiare » cum sequenti Praefatione, quin etiam omnia et singula proferant quae Consecrator ab initio ad finem usque sacri ritus recitat vel canit.

Quibus omnibus diligentissime perpensis, eo consilio permoti ut Episcoporum, qui in Consecratione Electi ad Episcopatum adsunt, officio et ministerio provideatur et tam in Urbe quam in ceteris terrarum orbis partibus unus idemque semper agendi modus in posterum hac in re servetur, de Apostolicae plenitudine potestatis ea quae sequuntur declaramus, decernimus ac statuimus:

Licet ad Episcopalis Consecrationis validitatem unus tantummodo requiratur Episcopus idemque sufficiat, cum essentiales ritus perficiat, nihilominus duo Episcopi, qui ex vetere instituto, secundum « Pontificalis Romani » praescriptum, adsunt Consecrationi, debent cum eodem Consecratore, et ipsi Consecratores effecti proindeque Conconsecratores deinceps vocandi, non solum utraque manu caput Electi tangere, dicentes « Accipe Spiritum Sanctum », sed, facta opportuno tempore mentis intentione conferendi Episcopalem Consecrationem una simul cum Episcopo Consecratore, orationem quoque « Propitiare » recitare cum integra sequenti Praefatione, itemque, universo ritu perdurante, ea omnia submissa voce legere quae Consecrator legit vel canit, exceptis tamen precibus ad pontificalium indumentorum benedictionem praescriptis, quae in ipso Consecrationis ritu sunt imponenda.

Quae autem hisce litteris Nostris declaravimus, decrevimus, statuimus, ea omnia rata firmaque permanere auc-

toritate Nostra iubemus, quibuslibet minime obstantibus, peculiari etiam mentione dignis; proindeque volumus ac decernimus ut secundum data praescripta « Pontificale Romanum » opportune reformetur.

Nemini vero hanc paginam declarationis, decreti, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat; si quis autem id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo quarto, die trigesima Novembris mensis, in festo S. Andreae Apostoli, Pontificatus Nostri anno sexto.

PIUS PP. XII

## 16 - Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos

(*AAS* XXXVII [21 maii 1945] p. 149).

### RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, respondendum mandarunt ut infra ad singula:

I. - DE PROVISIONE PAROECIARUM

D. An sub verbis: *peculiaria locorum ac personarum adiuncta,* de quibus in canone 458, veniant quoque necessitates oeconomicae dioecesis.

R. Negative.

II. - DE FORMA CELEBRATIONIS MATRIMONII

D. Utrum grave incommodum, de quo in canone 1098, sit tantum illud quod immineat parocho vel Ordinario vel

sacerdoti delegato qui matrimonio assistant, an etiam illud quod immineat utrique vel alterutri matrimonium contrahenti.

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

III. - DE IURE ACCUSANDI MATRIMONIUM

D. An coniugi, inhabili ad accusandum matrimonium ad normam canonis 1971 § 1 n. 1, competat ius appellandi vel recurrendi adversus sententiam in favorem matrimonii latam.

R. Negative, salvis extraiudicialibus recursibus.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 3 mensis Maii, anno 1945.

Card. M. MASSIMI, *Praeses.*

L. ✠ S.

I. Bruno, *Secretarius.*

## Annotationes

### I

Mens Ecclesiae est ut territorium cuiuslibet dioecesis dividatur in distinctas partes, quarum singulis assignetur peculiare templum cum populo determinato et proprius pastor pro necessaria animarum cura (c. 216 § 1). Huic autem officio sacro adiungitur ius percipiendi reditus ex dote officio adnexos (c. 1409). Hinc patet Ecclesiam velle ut congrua et stabilis dos procuretur cuilibet paroeciae ita ut sit verum beneficium. Pastores animarum debent esse stabiles ex praescripto iuris; immo, inter paroecias praeferuntur inamovibiles (c. 154 § 3). Non est igitur mirandum quod in c. 458 urgeatur Ordinarii obligatio providendi quam primum vacanti paroeciae, i. e. saltem intra sex menses, per designationem sacerdotis cui illa in titulum

conferatur, nisi peculiaria locorum ac personarum adiuncta collationem differendam suadeant.

De quibus locis et personis agitur? Manifestum est primo et principaliter agi de adiunctis paroeciae cui est providendum, quin tamen absolute excludatur dioecesis ad quam ea pertineat. Nunc vero possunt occurrere adiuncin quibus labilis condicio oeconomica alicuius dioecesis possit sublevari, si beneficia paroecialia pinguia non tradantur in titulum, sed nominetur vicarius oeconomus assignata eidem parte fructuum pro congrua sustentatione. Estne etiam extendenda ad hunc casum exceptio statuta in c. 458 ? Huic quaestioni respondet negative Comm. Codicis. Bonum enim spirituale animarum, cui melius providetur per designationem pastoris proprii, omnino praeferendum est utilitati oeconomicae dioecesis. Praeterea bona paroeciae a donatoribus traduntur praecipue ea intentione saltem implicita, sc. ut sustentatio pastoris proprii *illius loci* deinceps secura reddatur; haec autem voluntas donatoris debet observari, nisi aliud postulent adiuncta *loci* de quo agitur. Demum sollerti Episcopo haud deerunt modi providendi necessitatibus oeconomicis dioecesis, quin praeiudicium inferat instituto iuridico adeo firmiter in Codice protecto.

## II

Post declarationem authenticam[1] datam a Pontificia Commissione interpretationis Codicis i. c. d. 25 iulii 1931 circa grave incommodum quod permitteret applicationem normae stabilitae in c. 1098, non defuerunt qui assererent requiri etiamnunc absentiam *physicam* parochi vel Ordi-

---

1 An ad physicam parochi vel Ordinarii absentiam, de qua in interpretatione d. 10 mart. 1928 ad c. 1098, referendus etiam casus quo parochus vel Ordinarius, licet materialiter praesens in loco ob grave tamen incommodum celebrationi matrimonii assistere nequeat requirens et excipiens contrahentium consensum. Resp. — Affirmative.

narii loci vel sacerdotis delegati a loco *residentiae*. His accesserunt alii exigentes causas ordinis *physici*, quae testem qualificatum, praesentem materialiter in loco residentiae, impedirent quominus assisteret actui celebrationis matrimonii requirens et excipiens contrahentium consensum [2].

Ast plerique docuerunt, et quidem recte, vi interpretationis citatae sufficere ad applicationem normae canonis 1098 ut testis qualificatus, etsi materialiter praesens in loco residentiae, non possit absque gravi incommodo *morali* assistere actui celebrationis matrimonii [3]. Concordat cum hac sententia rescriptum [4] S. C. de d. Sacr. datum ad Episcopum Meten. d. 24 aprilis 1935.

Casus praevisus ab his auctoribus habebit locum certo certius, cum ex una parte nequeant nupturientes ob defectum alicuius requisiti peragere caeremoniam civilem coram magistratu et ex alia plectatur gravi poena sacerdos qui matrimonio religioso assistat absque praemissa illa caeremonia.

Sed cum in citata responsione Comm. Cod. a 1931 et in rescripto S. C. de d. Sacram. a. 1935 agatur de parocho, vel Ordinario, qui licet materialiter praesens in loco residentiae, ob grave tamen incommodum celebrationi matrimonii assistere nequeat, plerique auctores in suis commentariis non respiciunt, saltem explicite, nisi casum in quo nupturientes non *admittantur* ad caeremoniam civilem ob defectum alicuius requisiti et consequenter exsur-

---

[2] Eph. Theol. Lovan., IX, 289; Apollinaris, IV, 381; *Linneborn*, Grundriss des Eherechts, 367.

[3] *Gasparri*, Tractatus canonicus de matrimonio, II, n. 1017; *Verm.-Cr.*, Epitome i. c. II, n. 404; *Cappello*, De Matrimonio, II, n. 694; Periodica, XXXVIII, 45.

[4] An ... ad hunc eundem canonem referendus sit casus, in quo parochus vel Ordinarius celebrationi matrimonii religiosi assistere nequit, quia lege civili prohibetur, etiam sub poena, matrimonium coram Ecclesia celebrare, nisi praecesserit matrimonium sic dictum civile, et hoc ab auctoritate civili omnino recusatur, v. gr. ob defectum instrumentorum quae lex civilis requirit, Resp. — Affirmative.

gat grave incommodum morale pro teste qualificato ad assistentiam praestandam, matrimonio canonico eorundem.

Ideo quaeri poterat ulterius an applicanda esset eadem norma, cum nupturientes *admitterentur* quidem ad caeremoniam civilem, sed exinde grave damnum subituri essent, eo quod exstaret v. g. lex civilis privans iniuste quibusdam iuribus et beneficiis communibus matrimonium contrahentes in determinatis condicionibus non propositis in iure canonico. Ratio dubitandi stat in eo quod nupturientes, caeremoniam civilem, licet ob grave incommodum, omittentes, *efficerent ipsi* ut testis qualificatus versaretur in condicionibus directe praevisis in responsione authentica d. 25 iulii 1931. Possuntne illi coniuges in adiunctis supra descriptis uti norma canonis 1098 ?

Quotiescumque causae a nupturientibus allegatae ad omittendam caeremoniam civilem sint de facto legitimae, quatenus ex eadem peracta subsequerentur sequelae graves incompetenter et iniuste lege civili statutae, illi suo iure uti dicendi sunt, si contendant celebrare matrimonium canonicum omissa caeremonia civili. Proinde parochus teneretur in his adiunctis fungi suo munere testis qualificati, si nihil aliunde obstaret. Si vero parochus ob vetitum legis civilis deberet ex sua parte subire grave incommodum ex assistentia praestita matrimonio canonico absque caeremonia civili peracta, ius nupturientium agnoscendum est utendi in adiunctis descriptis norma stabilita in c. 1098. Id clare deduci videtur ex canone 1098, ex responsione authentica Comm. Codicis d. 25 iulii 1931 et ex rescripto S. C. de d. Sacr. a. 1935 simul consideratis. Vere enim dicuntur nupturientes nequire in his adiunctis adire sine gravi incommodo parochum vel Ordinarium cum iure postulandi vel exigendi assistentiam actui celebrationis matrimonii; ii enim excusantur vi responsionum quas supra memoravimus ab illa obligatione adimplenda ante caeremoniam civilem, quoties debeant ob vetitum legis civilis subire ipsi gravem poenam.

Ideo Comm. Codicis declarat nunc authentice posse applicari normam in c. 1098 stabilitam, etiam cum grave incommodum immineat utrique vel alterutri matrimonium contrahenti. Haec verba clare indicant agi de gravi incommodo subeundo ad habendam in actu celebrationis matrimonii assistentiam testis qualificati, praesentis iam in loco, quia de gravi incommodo nupturientium ob absentiam testis qualificati a loco residentiae agit directe et principaliter c. 1098, et consequenter nova responsio, quae solum hunc sensum haberet, esset dicenda omnino superflua. Quis enim unquam dubitare potuisset circa validam et licitam celebrationem matrimonii adstante gravi incommodo nupturientium in absentia testis qualificati a loco residentiae? Supponitur ergo in dubio testem qualificatum esse praesentem in loco residentiae et nupturientes nequire sine gravi incommodo peragere ea omnia quae permitterent ei assistere matrimonio eorum absque gravi incommodo proprio. Demum cum responsio loquatur in prima parte de malo quod immineat parocho vel Ordinario vel sacerdoti delegato qui matrimonio *assistant*, satis clare indicare videtur agi de damno subeundo non ante assistentiam praestitam, sed *post* celebratum matrimonium et *quia* assistentia est praestita. Hoc autem malum post matrimonium imminere non potest nisi ex parte legis civilis, et sic confirmatur indirecte sententia communis negans requiri ad usum formae extraordinariae causas ordinis physici, quae impedirent observantiam normae pro casibus ordinariis praescriptae.

Responsio nunc data plene cohaeret cum iis quae continentur in Instructione S. C. de P. Fide ad Praefectum Missionum insulae Curaçao a. 1785 transmissa. Vetatur, legitur in hac Instr., catholicis « ne contrahant matrimonium coram proprio parocho nisi prius contraxerint coram magistratu acatholico vel ministro protestante, sub poena quingentorum florenorum a parocho catholico solvendorum. Ut autem contrahant coram magistratu acatholico

vel ministro protestante solvendi sunt ab ipsis contrahentibus quinquagenta floreni, ita ut si illi vere pauperes sint, et non habeant huiusmodi summam, contrahere matrimonium nullo modo possint, siquidem nec parochus catholicus illorum nuptiis assistere possit ne inflicta quingentorum florenorum mulcta puniatur». Sacra Congregatio quaestionem solvit sequenti modo: «Cum vero inopes et miserabiles personae si cogantur magistratum aut ministrum protestantem adire, nequeant persolvere quingentos florenos iuxta renovatam legem, tum parochus catholicus, constito primum sibi nullum inter contrahentes intercedere canonicum impedimentum ac illorum inopiam veram esse permittat ut absque etiam sua assistentia matrimonium ineant, sed tamen praesentibus tribus aut saltem duobus testibus integrae fidei...». Statim adduntur monita ad vitanda pericula quae ex hoc modo agendi oboriri possent. Sic etiam nunc Episcopus ubi primum videat usum canonis 1098 in sensu supra explicato posse gravissima pericula in sua dioecesi creare animabus, ut nonnulli timent[5], ea disponat oportebit quae aptiora videantur ad pericula arcenda.

## III

De figura iuridica coniugum culpabilium in processu circa validitatem proprii matrimonii instituto a promotore iustitiae ratione boni publici, frequenter est disputatum, aliis alia asserentibus. Sunt qui vellent eos vocare simpliciter partes, vel quia repugnare non videatur ut, etiam exstante prohibitione canonis 1971 § 1, dicantur actores saltem subordinati promotori iustitiae, vel quia vere et proprie possint considerari ut rei conventi.

Afferri solent ad confirmandam hanc assertionem plures articuli Instructionis S. C. de d. Sacr. d. 15 aug. 1936, in quibus revera coniuges in processibus matrimonialibus vocantur partes. Ad hoc autem responderi potest in memo-

[5] Cfr. *Wernz-Vidal*, V, n. 547, not. 69.

ratis articulis agi de coniugibus in genere, quibus minime potest denegari ius tanquam actores accusandi proprium matrimonium, dum culpabilitas eorum non probetur. Cum autem rationabiliter plerique coniuges possint praesumi innocentes, ideo in Instructione vocantur simpliciter partes. Ut argumentum allatum rem evinceret, deberet prius probari etiam coniuges culpabiles vocari partes, et quidem in sensu stricto, ita ut eis competant omnia iura quae partibus assignantur in iure processuali. Nec valet dicere coniuges culpabiles posse ut reos conventos considerari; si enim culpabiliter nullitatem matrimonii non induxissent, potuissent agere ut veri actores; nunc vero loco eorum, qui iure suo ceciderunt, agit promotor iustitiae ratione boni publici. Culpa non potest hanc mutationem substantialem inducere in condicionem iuridicam coniugum.

Aliis magis placet participationem necessariam coniugum culpabilium in causa propria aequiparare interventui tertii in causa ad normam cc. 1852, 53. Luculenter probat Cappello nullo sub aspectu posse assertam aequiparationem sustineri[6]. Coniuges profecto sunt semper vocandi et interrogandi in causa propria, utpote omnino necessarii *ad veritatem rei detegendam*, quod intenditur primo et principaliter in his causis scandali removendi causa, ut patet ex art. 38 et 39 citatae Instructionis. Coniugum culpabilium interest et quidem maxime accusatio proprii matrimonii a promotore iustitiae instituta; sed probare nequibunt unquam sibi ius interveniendi competere, prout exigitur in c. 1852 § 2. Breviter: coniuges culpabiles non sunt partes stricte dictae nec possunt admitti ad interveniendum in causa velut pars cuius res interest.

Si vero sint inhabiles ad causam introducendam, item erunt ad eandem prosequendam, quando promotor iustitiae forte recedat ab accusatione iam instituta. Hic enim ubi primum, etiam inter tractandam causam, videat argumenta adducta non sufficere ad faciendam probabilem nul-

[6] Cappello, l. c. n. 882.

litatem matrimonii vel serio dubitet de impedimenti existentia, potest recedere ab accusatione, cum deficiat una e condicionibus necessario praesupponendis. Iamvero in art. 41 § 4 Instructionis nihil dicitur de iure coniugum ad prosequendam causam, si ea forte ante decisionem iudicialem derelinquatur a promotore iustitiae, cum tamen deberet illud exprimi si existeret, ne manca remaneat praescriptio. Immo, ex modo loquendi satis apparet ibi debere imponi finem illi causae.

Rationes autem quae sufficiunt ad interrumpendam causam facilius constare poterunt promotori iustitiae post sententiam in favorem matrimonii latam; haberet enim propriam opinionem suffragio tribunalis collegialis confirmatam. Quo iure competeret coniugibus culpabilibus facultas interponendi appellationem independenter a promotore iustitiae? In hac hypothesi eorum condicio post sententiam in favorem matrimonii latam melior esset quam post interruptionem causae ob recessum promotoris iustitiae: id autem omnino absonum videtur. Iure ergo meritoque privantur potestate appellandi vel recurrendi adversus sententiam in favorem matrimonii latam. Sic authentice declaravit Commissio Codicis. Qua declaratione confirmatur indirecte sententia quae tenet coniuges culpabiles nullo modo posse dici partes; partibus enim stricte dictis non potest non agnosci ius appellationis in gradibus statutis. Poterunt tamen coniuges culpabiles extraiudicialiter confugere ad Ordinarium rationes exponendi causa, quae aptae sint ut promotor iustitiae inducatur ad appellationem interponendam loco eorum.

PH. AGUIRRE, S. I.

# ACTA SUMMATIM RELATA

## 18 - SS. D. N. Pius Pp. XII

*A* — Litterae apostolicae *Nobis exponendum,* 19 martii 1944, quibus Pia unio Matrum christianarum, vulgo « Bruderschaft Christlicher Mütter » nuncupata, in templo abbatiali Einsidlensi canonice instituta, ad Primariae dignitatem pro omnibus Helvetiae dioecesibus evehitur (*AAS* xxxvii [27 apr. 1945] p. 108-110).

*B* — Constitutio apostolica *Ad christianae plebis,* 21 oct. 1944, qua a metropolitico Archiepiscopi Cincinnatensis iure dioecesis Indianapolitana solvitur et ad metropolitanae Ecclesiae gradum evehitur, atque ex ea et a dioecesi Wayne Castrensi (et ipsa a provincia ecclesiastica abstracta) et ex dioecesibus Evansvicensi et Lafayettensi in Indiana, nuper erectis, nova constituitur ecclesiastica provincia Indianapolitana (*AAS* xxxvii [27 apr. 1945] p. 101-103).

*C* — Constitutio *Ecclesiae universalis,* 21 oct. 1944, qua ab archidioecesi Indianapolitana pars dismembratur et nova exinde origitur dioecesis Evansvicensis (*AAS* xxxvii [27 apr. 1945] p. 103-105).

*D* — Constitutio apostolica *Ut sedulo,* 21 oct. 1944, qua a dioecesi Wayne Castrensi territorii pars smembratur et nova exinde erigitur dioecesis Lafayettensis in Indiana nuncupanda (*AAS* xxxvii [27 apr. 1945] p. 106-108).

*E* — Constitutio apostolica *Dioecesium in orbe,* 21 oct. 1944, qua ab archidioecesi Cincinnatensi territorii pars seiungitur, quae dioecesi Columbensi adnectitur; a dioecesi Columbensi territorii pars dismembratur et nova exinde dioecesis « Steubenvicensis » erigitur (*AAS* xxxvii [23 iun. 1945] p. 153-155).

*F* — Constitutio apostolica *Apostolicam de Chumatien,* 9 nov. 1944, qua praefectura apostolica de Chumatien in vicariatum apostolicum evehitur (*AAS* xxxvii [25 aug. 1945] p. 201-202).

*G* — Constitutio apostolica A dominici, 16 dec. 1944, qua a dioecesis Piauhyensis territorio duae seiunguntur partes, e quibus duae novae eriguntur dioeceses « Parnaibensis » et « Oeirensis », decerniturque ut dioecesis Piauhyensis, mutato nomine, « Teresiana » posthac appelletur (*AAS* xxxvii [21 mai 1945] p. 133-135).

*H* — Epistula *Propediem te,* 16 dec. 1944, ad Exc.mum P. D. Benedictum Aloisi Masella, archiepiscopum tit. Caesariensem in Mauretania, nuntium apostolicum in Brasilia, vicesimum quintum episcopatus annum celebraturum (*AAS* xxxvii [21 mai 1945] p. 144-145).

*I* — Constitutio apostolica *Ad animarum,* 16 dec. 1944, qua a dioecesi Bathurstensi territorii pars dismembratur, ex qua nova erigitur dioecesis Edmunstonensis, metropolitanae ecclesiae Monctonensi suffraganea (*AAS* xxxvii [25 iun. 1945] p. 177-179).

*K* — Constitutio apostolica *Supremum apostolatus,* 18 dec. 1944, qua a dioecesi Huanucensi territorii pars seiungitur et nova exinde « Huancayensis » dioecesis erigitur, metropolitanae ecclesiae Limanae suffraganea (*AAS* xxxvii [21 mai 1945] p. 136-138).

*L* — Constitutio apostolica *Quae ad maius,* 18 dec. 1944, qua a dioecesis Ayacuquensis territorio pars seiungitur, ex qua nova erigitur « Huancavelicensis » dioecesis (*AAS* xxxvii [21 mai 1945] p. 139-141).

*M* — Constitutio apostolica *Nihil potius,* 18 dec. 1944, qua ab archidioecesi Arequipensi territorii pars dismembratur, ex qua nova erigitur dioecesis « Tacnensis », ipsi Arequipensi archidioecesi suffraganea (*AAS* xxxvii [21 mai 1945] p. 142-144).

*N* — Epistula *Au moment,* 6 ian. 1945, ad Em.mos PP. DD. Cardinales et Exc.mos archiepiscopos et episcopos Galliae (*AAS* xxxvii [25 iul. 1945] p. 180-183).

*O* — Epistula *Ut tibi iisque,* 27 ian. 1945, ad Ill. et Ven. Virum Vladislaum Anders, Polonorum in Italia militum praefectum generalem (*AAS* xxxvii [25 iul. 1945] p. 183-184).

*P* — Epistula *Inter atrocissimi belli,* 31 ian. 1945, ad Exc. mum P. D. Rotta, archiepiscopum tit. Thebanum, nuntium apostolicum in Hungaria, dena lustra sacerdotii feliciter explentem (*AAS* xxxii [21 mai 1945] p. 145-146).

*Q* — Constitutio apostolica *Ex antiqua,* 10 mart. 1945, qua Canonicorum capitulum in cathedrali ecclesia Kilmorensi erigitur seu restituitur (*AAS* xxxvii [27 sept. 1945] p. 225-227).

*R* — Allocutio a Beatissimo Patre die 18 martii 1945 habita in foro S. Petri in Vaticano ob paenitentiales supplicationes coadunato (*AAS* xxxvii [27 apr. 1945] p. 111-115).

*S* — Epistula *Explenti feliciter,* 27 mart. 1945, ad Em.mum P. D. Alexandrum tit. S. Mariae in Cosmedin S. R. E. presbyterum cardinalem Verde, patriarchalis basilicae Liberianae archipresbyterum, octogesimum aetatis annum feliciter explentem (*AAS* xxxvii [27 apr. 1945] p. 110).

*T* — Epistula *Cum proxime,* 12 apr. 1945, ad Excmum P. D.

Bernardum Griffin, archiepiscopum Westmonasteriensem, saeculo exeunte a Ioannis Henrici Newman reditu ad catholicae Ecclesiae unitatem (*AAS* xxxvii [25 iul. 1945] p. 184-186).

*U* — Epistula *Peculiaria Dei*, 8 mai 1945, ad Em.mum P. D. Raphaelem Carolum tit. S. Praxedis S. R. E. presbyterum cardinalem Rossi, ab actis Sacri Consilii episcopis deligendis moderandisque, annum a suscepto episcopatu quintum et vigesimum celebraturum (*AAS* xxxvii [23 iun. 1945] p. 156-157).

*V* — Allocutio 10 mensis mai 1945 qua S. Pontifex nobilissimis verbis respondit quibus Exc.mus Vir Iacobus Maritain qua Galliae legatus extra ordinem liberis cum mandatis litteras publicas porrexit (*AAS* xxxvii [21 mai 1945] p. 146-148).

*X* — Epistula *Quattuor abhinc annos*, 20 mai 1945, ad Em. P. D. Alexium tit. S. Callisti S. R. E. presbyterum cardinalem Ascalesi, archiepiscopum Neapolitanum, quinquagesimum ab inito sacerdotio annum feliciter explentem (*AAS* xxxvii [23 iun. 1945] p. 157-158).

*Y* — Epistula Proximo vertente, 20 mai 1945, ad Em.mum P. D. Ioannem Baptistam tit. S. Mariae in Transpontina S. R. E. presbyterum cardinalem Nasalli Rocca de Corneliano, dena sacerdoti lustra fauste celebraturum (*AAS* xxxvii [23 iun. 1945] p. 158-159).

*Z* — Epistula *Cum septimum* iam, 10 iun. 1945, ad Em.mum P. D. Petrum tit. Ss. Trinitatis in Monte Pincio presbyterum cardinalem Gerlier, archiepiscopum Lugdunensem ac Viennensem Allobrogum, saeculo septimo exeunte ab indicto concilio Lugdunensi primo (*AAS* xxxvii [25 aug. 1945] p. 204-205).

*AA* — Nuntius radiophonicus 17 iun. 1945, ad christifideles ob centenaria sollemnia sodalitatis a precationis apostolatu in basilica Parisiensi Ss. Cordi Iesu dicata adunatos (*AAS* xxxvii [25 iul. 1945] p. 189-192).

*BB* — Epistula *Per hos postremos annos*, 29 iun. 1945, ad Exc.mos PP. DD. Poloniae archiepiscopos, episcopos ceterosque locorum ordinarios (*AAS* xxxvii [25 aug. 1945] p. 205-207).

*CC* — Litterae apostolicae *Quod venerabilis Frater*, 5 iul. 1945, quibus S. Alfonsus M. de Ligorio E. D. Agrigentinae civitatis et dioecesis patronus aeque principalis cum S. Gerlando E. declaratur (*AAS* xxxvii [25 aug. 1945] p. 202-203).

*DD* — Epistula *Peculiari animi*, 7 iul. 1945, ad Em.mum P. D. Eliam tit. S. Marci S. R. E. presbyterum cardinalem Dalla Costa, dena sacerdotii lustra feliciter celebraturum (*AAS* xxxvii [25 aug. 1945] p. 208-209).

*EE* — Epistula *Sacerdotii plenitudinem*, 9 iul. 1945, ad

Exc.mum P. D. Clementem Micara archiepiscopum tit. Apamenum in Syria, nuntium aposstolicum in Belgio atque internuntium apostolicum Lucemburgensem, quina episcopatus lustra fauste expleturum (*AAS* xxxvii [25 aug. 1945] p. 209).

*FF* — Litterae apostolicae *In Hydruntinae archidioeceseos*, 12 iul. 1945, quibus templum cathedrale Hydruntinae archidioecesis ad basilicae minoris titulum ac dignitatem evehitur (*AAS* xxxvii [27 sept. 1945] p. 227-229).

*GG* — Epistula *Nous avons pris*, 14 iul. 1945, ad Egregium Virum Carolum Flory, praesidem coetus conventibus catholicorum « Semaines sociales » in Gallia apparandis (*AAS* xxxvii [25 aug. 1945] p. 210-212).

*HH* — Epistula *Laeti accepimus*, 24 aug. 1945, ad Em.mum P. D. Alaphridum tit. S. Martini in Montibus S. R. E. presbyterum cardinalem Schuster, archiepiscopum Mediolanensem, ob quartum conventum eucharisticum e tota Mediolanensi archidioecesi Modoëtiae celebrandum (*AAS* xxxvii [27 sept. 1945] p. 229-231).

*II* — Epistula *Tria saecula*, 1 sept. 1945, ad Exc.mum P. D. Carolum M. Della Torre, archiepiscopum Quitensem, ceterosque in Aequatoriana republica episcopos et locorum ordinarios, tertio revoluto saeculo ab obitu beatae Mariannae a Iesu de Paredes (*AAS* xxxvii [27 sept. 1945] p. 231-232).

*KK* — Epistula *Non sine peculiari*, 1 sept. 1945, ad Em.mum P. D. Franciscum tit. S. Caeciliae S. R. E. presbyterum cardinalem Marmaggi, praefectum S. Consilii disciplinae cleri populique moderandi, quintum emensum feliciter episcopatus lustrum (*AAS* xxxvii [27 sept. 1945] p. 232-233).

## 19 - Sacra Congregatio Rituum

*Causae beatificationis et canonisationis.*

1 — *Baionen.* Decretum 26 ian. 1945, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectu de quo agitur, beatificationis et canonisationis servi Dei Augusti Etchécopar, Superioris generalis Congregationis presbyterorum Ss. Cordis Iesu de Bétharram (*AAS* xxxvii [27 apr. 1945] p. 120-122).

2 — *Romana seu Salisburgen.* Decretum 26 ian. 1945, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonisationis servae Dei Mariae Teresiae Ledóchowska, fundatricis Sodalitatis pro missionibus Africanis a S. Petro Claver (*AAS* xxxvii [23 iun. 1945] p. 170-172).

3 — *Taurinen.* Decretum 23 mart. 1945, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonisationis servi Dei Aloisii Balbiano, sacerdotis saecularis, vicarii cooperatoris loci « Avigliana » (*AAS* xxxvii [25 aug. 1945] p. 219-221).

4 — *Rottenburgen.* Decretum 23 mart. 1945, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonisationis servi Dei Philippi Jeningen, sacerdotis professi Societatis Iesu (*AAS* xxxvii [25 aug. 1945] p. 221-223).

5 — *Albanen.* Decretum 25 mart. 1945, Super dubio: An constet de martyrio eiusque causa et de signis seu miraculis in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis seu declarationis martyrii venerabilis servae Dei Mariae Goretti, virginis saecularis (*AAS* xxxvii [27 sept. 1945] p. 234-237).

6 — *Surinamen. seu Buscoducen.* Decretum 25 mart. 1945, Super dubio: An constet de virtutibus fide, spe, caritate cum in Deum tum in proximum, nec non de cardinalibus prudentia, iustitia, temperantia, fortitudine earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonisationis venerabilis servi Dei Petri Donders, sacerdotis professi Congregationis Ss. Redemptoris (*AAS* xxxvii [27 sept. 1945] p. 237-239).

7 — *Neapolitana.* Decretum 25 mart. 1945, Super dubio: An constet de virtutibus theologalibus fide, spe, caritate cum in Deum tum in proximum, nec non de cardinalibus prudentia, iustitia, temperantia, fortitudine earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonisationis venerabilis servae Dei Catharinae Volpicelli, fundatricis Instituti ancillarum a S. Corde (*AAS* xxxvii [27 sept. 1945] p. 240-243).

8 — *Sabinen. seu Ripana.* Decretum 11 mai 1945, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonisationis servi Dei Ioannis a Spiritu sancto, sacerdotis professi Congregationis clericorum excalceatorum Ss. Crucis et Passionis D. N. I. C. (*AAS* xxxvii [27 sept. 1945] p. 243-245).

## 20 - S. C. de Semin. et de Stud. Univers.

Litterae 21 dec. 1944, ad Exc.mos ordinarios de magno momento studii paedagogiae in seminariis (*AAS* xxxvii [25 iun. 1945] p. 173-176).

# 21 - S. Romana Rota

## Tabulae synopticae causarum S. R. Rotae

Anno 1944

I

*Causae iudicatae*

A - De matrimonio

| CAUSAE | Iud. | Aff. | Neg. |
|---|---|---|---|
| Nullitatis: | | | |
| Ob impedimentum aetatis et metum gravem | 1 | 1 | |
| Ob amentiam mulieris | 1 | | 1 |
| Ob exclusum bonum fidei et bonum sacramenti | 1 | 1 | |
| » » » prolis | 4 | 3 | 1 |
| » » » » et bonum fidei | 1 | 1 | |
| » » » sacramenti | 4 | 1 | 3 |
| » » » » et bonum prolis | 1 | 1 | |
| Ob clandestinitatem | 1 | 1 | |
| Ob condicionem appositam | 3 | 1 | 2 |
| Ob condicionem appositam et impotentiam viri | 1 | | 1 |
| (Dispensatio super rato) | (1) | (1) | |
| Ob consanguinitatem | 2 | 1 | 1 |
| Ob defectum consensus | 4 | 2 | 2 |
| Ob impotentiam mulieris | 2 | 1 | 1 |
| (Dispensatio super rato) | (1) | (1) | |
| Ob impotentiam viri | 5 | 3 | 2 |
| (Dispensatio super rato) | (2) | (1) | (1 |
| Ob vim et metum | 26 | 13 | 13 |
| » » » et exclusum bonum prolis | 2 | | 2 |
| » » » , exclusum bonum sacramenti et exclusum bonum prolis | 1 | | 1 |
| Ob vim et metum et simulatum consensum | 2 | | 2 |
| (Dispensatio super rato) | (1) | (1) | |
| Ob vim et metum et impotentiam viri | 1 | 1 | |
| Incidentis | 2 | | 2 |
| Dispensationis super rato et non consummato | 1 | | 1 |
| Separationis | 1 | | 1 |
| | 67 | 31 | 36 |

*B* - De variis argumentis

Ceterae causae fuerunt: bis de iuribus, semel de iuribus et damnis.

II

*Causae quae eodem anno 1944 transactae sunt, vel quae absque definitiva sententia, ex peculiaribus circumstantiis, finem habuerunt; quibus adduntur decreta quoad recursus contra libellorum reiectionem.*

*A* - De matrimonio

| CAUSAE | |
|---|---|
| Nullitatis: | |
| Ob exclusum bonum prolis . . . . . | 4 |
| » » » sacramenti . . . . . | 1 |
| Ob clandestinitatem . . . . . | 2 |
| Ob condicionem appositam . . . . . | 2 |
| » » » et errorem circa qualitatem personae . . | 1 |
| Ob condicionem appositam, vim et metum et defectum consensus . . . . . | 1 |
| Ob impotentiam mulieris . . . . . | 1 |
| » » viri . . . . . | 2 |
| Ob impedimentum ligaminis . . . . . | 1 |
| Ob vim et metum . . . . . | 12 |
| » » » » et exclusum bonum prolis . . | 1 |
| » » » » » » » sacramenti | 1 |
| » » » » » clandestinitatem . . . | 1 |
| » » » » » impotentiam viri . . . | 1 |
| Incidentis . . . . . | 2 |
| Reiectionis libelli . . . . . | 5 |
| | 38 |

*B* - De variis argumentis

Ceterae causae fuerunt: bis de iuribus (semel de incidenti), semel de exsecutione sententiae, semel de paenis.

N. B. — Ex 67 causis sub I allegatis 29 peractae sunt cum gratuito patrocinio (43, 28%).

## 22 - Provisiones ecclesiarum

*Decretis S. C. Consistorialis praefecti sunt:*

11 nov. 1944, Exc. P. D. Iosephus Ritter, hactenus episcopus eiusdem dioecesis, metropolitanae ecclesiae Indianapolitanae, nuper evectae.

11 nov. 1944, R. D. Henricus Grimmelsman, cathedrali ecclesiae Evansvicensi, nuper erectae.

11 nov. 1944, R. D. Ioannes Bennet, cathedrali ecclesiae Lafayettensi in Indiana, nuper erectae.

15 ian. 1945, Exc. P. D. Franciscus Beckmann, archiepiscopali ecclesiae Panamensi.

3 febr. 1945, Exc. P. D. Ioannem Rodericum MacDonald, hactenus episcopus Peterboroughensis, tit. episcopali ecclesiae Ancusensi; qui constituitur coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Iacobi Morrison, archiepiscopi-episcopi Antigonicensis.

10 mart. 1945, R. D. Ioannem Mussio, cathedrali ecclesiae Steubenvicensi, nuper erectae.

10 mart. 1945, Exc. P. D. Ioannes Franciscus O'Hara, cathedrali ecclesiae Buffalensi.

10 mart. 1945, R. D. Franciscum Schenk, cathedrali ecclesiae Crookstoniensi.

10 mart. 1945, R. D. Eduardus Hunkeler, cathedrali ecclesiae Insulae Grandis.

10 mart. 1945, R. D. Vincentius Waters, cathedrali ecclesiae Raleighiensi.

7 apr. 1945, R. D. Thomas Ioannes Flynn, tit. ecclesiae Silyensi; qui constituitur coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Eduardi Patricii Roche, archiepiscopi eiusdem archidioecesis S. Ioannis Terrae Novae.

7 apr. 1945, Exc. P. D. Henricus Iosephus O'Brien, cathedrali ecclesiae Hartfortiensi.

7 apr. 1945, R. D. Gerardus Berry, cathedrali ecclesiae Peterboroughensi.

7 apr. 1945, R. D. Iacobus Connolly, tit. ecclesiae Mylasensi; qui constituitur coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Iacobi Cassidy, episcopi Riverormensis.

2 mai 1945, R. D. Octavius Antonius Beras, tit. ecclesiae Euchaitenae; qui constituitur coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Richardi Pittini, archiepiscopi S. Dominici.

19 mai 1945, R. D. Gulielmus Smith, cathedrali ecclesiae Pemprokensi.

19 mai 1945, R. P. Xaverius Rey, e Tert. Ord. Reg. S. Francisci Ass., tit. ecclesiae Phacusiensi; qui constituitur Praelatus praelaturae *nullius* Guajaramirensis.

2 iun. 1945, R. P. Iosephus a Iesu Angulo Del Valle, cathedrali ecclesiae Tabasquensi.

9 iun. 1945, R. D. Candidus Rada Senosiain, e Soc. S. Francisci Salesii, cathedrali ecclesiae S. Caroli Ancudiae.

25 iun. 1945, R. D. Iosephus Köstner, cathedrali ecclesiae Gurcensi.

30 iun. 1945, Exc. P. D. Ernestus di Paula, hactenus episcopus Jacarezinhoensis, cathedrali ecclesiae Piracicabensi.

6 iul. 1945, Exc. P. D. Leonardus Iosephus Rodriguez, cathedrali ecclesiae Huancayensi, noviter erectae.

6 iul. 1945, R. D. Carolus Albertus Arce Masias, cathedrali ecclesiae Tacnensi, noviter erectae.

6 iul. 1945, R. P. Albertus Dettmann y Aragón, O. P., cathedrali ecclesiae Huancavelicensi, noviter erectae.

8 iul. 1945, Exc. P. D. Stephanus Carton de Wiart, cathedrali ecclesiae Tornacensi.

10 iul. 1945, Exc. P. D. Lucius Crescensi, cathedralibus ecclesiis Fabrianensi et Mathelicensi, aeque principaliter unitis.

17 iul. 1945, Exc. P. D. Aloisius Santa, cathedrali ecclesiae Ariminensi.

17 iul. 1945, R. D. Vincentius Bonaventura Medori, cathedralibus ecclesiis Calvensi et Theanensi, aeque principaliter unitis.

25 iul. 1945, R. D. Iulius Bianconi, cathedralibus ecclesiis Tarquiniensi et Centumcellarum, aeque principaliter unitis.

9 aug. 1945, R. D. Dominicus Valeri, cathedrali ecclesiae Marsorum.

14 aug. 1945, R. D. Iosephus Medeiros Leite, cathedrali ecclesiae Oliveirensi.

21 aug. 1945, R. D. Gulielmus Scully, tit episcopali ecclesiae Pharsaliae; qui constituitur coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Edmundi Gibbon, episcopi Albanensis in America.

21 aug. 1945, R. D. Ioannes Treacy, tit. episcopali ecclesiae Metelitanae; qui constituitur coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Ioseph MacGavick, episcopi Crossensis.

*Decreto S. C. pro Ecclesia Orientali praefectus est*

5 mart. 1945, R. P. Petrus Chami, sacerdos Instit. Miss. Melchitarum a S. Paulo Harissensis in monte Libano, archiepiscopali ecclesiae Bostrensi et Hauranensi.

## 23 - Necrologium

22 febr. 1945, R. D. Michael Bunić, episcopus Rosnaviensis.

3 mart. 1945, R. D. Ioannes M. Cessou, vicarius apostolicus de Lomé.

3 mart. 1945, R. D. Paulus Petrus Rhode, episcopus Sinus Viridis.

11 mart. 1945, R. D. Nicolaus Milone, episcopus Alexandrinus Statiellorum.

14 mart. 1945, R. D. David Keane, episcopus Limericensis.

20 mart. 1945, R. D. Valentinus Comellas y Santamaria, episcopus Celsonensis.

20 mart. 1945, R. D. Leo Durand, episcopus Oranensis.

28 mart. 1945, R. D. Nicolaus Tijerino y Loaiciga, episcopus Leonensis in Nicaragua.

29 mart. 1945, Em. D. Card. Iustitianus Georgius Seredi, archiepiscopus Strigoniensis.

30 mart. 1945, R. D. Henricus Mourao, episcopus Cafaelandensis.

1 apr. 1945, R. D. Gulielmus Apor, episcopus Iaurinensis.

8 apr. 1945, R. D. Augustus Hermann, vicarius apostolicus de Volta Inferiore.

10 apr. 1945, R. D. Iacobus Paulus MacCloskey, episcopus Iarensis.

6 mai 1945, R. D. Albertus I. Gonçalves, episcopus Rivi Nigri.

14 mai 1945, R. D. Dionysius Tibiletti, episcopus S. Ludovici in Argentina.

20 mai 1945, R. D. Raphael Crimont, vicarius apostolicus de Alaska.

24 mai 1945, R. D. Aloisius Montenegro y Flores, episcopus de Vera Paz in Guatemala.

3 iun. 1945, R. D. Aemilius Bunoz, vicarius apostolicus de Prince Rupert.

18 iun. 1945, R. D. Eduardus Michaud, vicarius apostolicus de Uganda.

28 iun. 1945, R. D. Antonius Melomo, archiepiscopus Compsanus, S. Angeli de Lombardis et Bisaciensis.

5 iul. 1945, R. D. Franciscus Xaverius Ross, episcopus Gaspesensis.

6 iul. 1945, Em. D. Card. Adolfus Bertram, archiepiscopus Vratislaviensis.

28 iul. 1945, R. D. Petrus Vera y Zuria, archiepiscopus Angelorum in Mexico.

11 aug. 1945, R. D. Daniel Desmond, episcopus Alexandrinus in Luisiana.

16 aug. 1945, R. D. Felicianus Rocha Pizzarro, episcopus Placentinus in Hispania.

25 aug. 1945, R. D. Petrus Tesauri, archiepiscopus Lancianensis et administrator apostolicus Ortonensis.

26 aug. 1945, R. D. Alafridus Odilo Comtois, episcopus Trifluvianensis in Canada.

29 aug. 1945, R. D. Carolus Iosephus Eugenius Ruch, episcopus Argentinensis.

6 sept. 1945, R. D. Gregorius Diamare, abbas archicoenobii Montis Casini.

17 sept. 1945, R. D. Petrus Paschalis Franciscus Farfan, archiepiscus Limensis.

# NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

## I - Ex libris

Pio Alfonzo O. S. B., *I riti della Chiesa. Lineamenti storico-esegetici.* I. *Introduzione generale.* II. *Le ore canoniche,* Romae, Edizioni liturgiche, 1945, 15 × 22 cm., 183 pag.

I. *Introduzione generale*: Rito e liturgia, La liturgia cristiana nei primi secoli. La liturgia romana, Gli studi liturgici. — II. *Le ore canoniche*: Origine e sviluppo delle ore, Svolgimento storico generale dell'ufficio, I salmi, Le lezioni, I canti, Le preghiere. — *Appendice*: Rubriche, cerimonie, uffici particolari.

Nicolas Ladomérszky, *Dernières déviations sotériologiques dans la théologie russe,* Romae, Officium Libri catholici, 1945, 17, 5×25 cm., 103, pag.

Un théologien novateur: Métropolite Antoine Khrapovitsky. Défenseur de l'orthodoxie: Métropolite Eleuthère Bogojavlensky. Portée doctrinale de la controverse.

Stanislao Lokuang, *La sapienza dei Cinesi* (*Il confucianesimo*), Romae, Officium Libri catholici, 1945, 17, 5 × 25 cm. 238 pag.

La religione. La metafisica. La norma della moralità. Le virtù. L'individuo. La famiglia. Il matrimonio. L'autorità paterna. La pietà filiale. La società civile. La dottrina politica. Cum appendicibus sex.

Philippus Oppenheim O. S. B., *Tractatus de textibus liturgicis,* Romae, Officium Libri catholici, 1945, 17, 5×25 cm., 256 p.

I. *De textibus liturgicis in genere*: De formulis liturgicis generatim, de earum necessitate et diversis formis; de fontibus textuum liturgicorum; de rationibus ob quas textus liturgici sint electi vel compositi, et de modo quo sint coordinati; de lingua cultus deque uniformitate in eius pronuntiatione. — II. *De usu S. Scripturae in cultu liturgico*: Forma citationis; allegorica quae dicitur textuum interpretatio et applicatio, sensus typicus; de pietate ex s. scripturae usu in cultu liturgico haurienda et de mystica textuum scripturisticorum doctrina; de psalmorum usu et interpretatione. — *De orationibus*: Notiones; forma orationis; materia orationum.

Eugène Pacelli, *La personalité et la territorialité des lois particulièrement dans le droit canon.* Etude historique-juridique, Romae, Scientia catholica, 1945, 17×24, 5 cm., XII 30 pag.

Benedictus Takahiko Tomizawa, *Ius missionarium de legibus iaponicis circa matrimonii impedimenta,* Romae, Officium Libri catholici, 1945, 17, 5×25, 124 pag.

Notiones praeviae, de natura matrimonii, de eius regimine, de legislatione civili iaponica circa matrimonium in genere. — Matrimonii impedimenta in iure civili iaponico.

J. F. Van der Stappen et Aug. Croegaert, *Caeremoniale ad usum alumnorum seminarii archiepiscopalis Mechliniensis,* ad normam recentiorum decretorum accommodatum, Pars prior: *De ministris,* edit. 5ª, Mechliniae, 1945, 16×23, 5 cm. XIV 481 p.

Introductio. De officio thuriferarii, acolythorum et cerofer-ariorum. De officio caeremoniarii. De officio subdiaconi. De officio diaconi.

## II - Ex periodicis

*Ephemerides liturgicae,* Analecta historico-ascetica, LVIII (1944). — I. B. Reus S. I., *De natura orationis canonis « Quam oblationem »,* p. 23-41. — Ph. Oppenheim O. S. B., *L'intervento degli Angeli nel culto,* p. 88-96.

*Palestra del Clero,* XXIV, fasc. 12 (20 oct.). — Alessandro Cantono, *Unità sindacale, la morale e il dovere del clero,* p. 181-182.

# INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI


Philippus Aguirre, S. I., Prof. iur. publ. et concord. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 101 ss., 129 ss., 256 ss.

W. Bertrams S. I., Prof. philos. iuris in Pont. Univ. Gregoriana, p. 32 ss., 210 ss.

Gustavus Gundlach, S. I., Prof. sociol. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 63 ss., 270 ss.

Michaël Ledrus, S. I., Prof. theol. asc. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 157 ss.

Ulpianus López, S. I., Prof. theol. moralis in Pont. Univ. Gregoriana, p. 42 ss.

D. G. Oesterle O. S. B., Prof. iuris can. in Pont. Collegio S. Anselmi, p. 5 ss.

Florentinus Ogara, S. I., Prof. S. Script. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 137 ss.

Ignatius O. de Urbina, S. I., Prof. patr. orient. in Pont. Inst. Orient., p. 48 ss.

Iosephus Schweigl, S. I., Prof. inst. liturg. orient., p. 45 ss.

# INDEX DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM


| | Pag. |
|---|---|
| « *Probabile* » *in Codice i. can.*, D. G. Oesterle O. S. B. . . | 5 |
| *De facultate audiendi confessiones in itinere aëreo*, W. Bertrams, S. I., . . . . . | 32 |
| *De Missae celebratione in itinere maritimo*, U. López, S. I. | 42 |
| *Novum formularium liturgicum pro festo SS. Cordis Iesu in idiomate slavico*, I. M. Schweigl, S. I. . . . . | 45 |
| *De Mendacio* (conclusio), M. Ledrus S. I. . . . . | 157 |
| *De potestate iudiciali-administrativa in Ecclesia*, W. Bertrams, S. I. . . . . | 210 |

# INDEX MONUMENTORUM


SS. D. N. PIUS PP. XII — *Pag.*

1 - Litterae encyclicae « Orientalis Ecclesiae decus » 48
*Annotationes*, I. O. DE URBINA, S. I. . . . 63

2 - Nuntius radiophonicus circa ordinem oeconomicum et socialem . . . . . 68
*Annotationes*, G. GUNDLACH, S. I. . . . . 81

3 - Allocutio ad S. R. Rotam circa finem obtinendum in tractatione causarum matrimonialium . . 87
*Summarium-Annotationes*, PH. AGUIRRE, S. I. 101

4 - Nuntius radiophonicus circa problema « democratiae » et veram ordinationem pacis . . . 107
*Annotationes*, G. GUNDLACH, S. I. - PH. AGUIRRE, S. I. . . . . 124

5 - Motu proprio « In cotidianis precibus » de nova psalmorum conversione latina . . . . . 137
*Annotationes*, F. OGARA, S. I. . . . . 140

11 - Allocutio ad Em.os PP. Cardinales in festo S. Eugenii I de Ecclesia et Statu nazional-socialistico . . . . . 231
*Synopsis* . . . . . 243

12 - Allocutio ad S. R. Rotam de differentiis essentialibus inter ordinationem iudiciariam eccl. et civil. . . . . 248
*Synopsis - Annotationes*, PH. AGUIRRE, S. I. . 256

13 - Allocutio ad adscriptos societatibus christianis operariorum italic. . . . . 263
*Annotationes*, G. GUNDLACH, S. I. . . . . 270

14 - Allocutio in fine belli . . . . . 274

15 - Const. apost. de duobus Episcopis qui episcopali consecrationi adsunt . . . . . 277

Acta summatim relata . . . . . 289

P. COMMISSIO CODICIS I. C. . . . . 279
Responsa d. 3 maii 1945 . . . . . .
*Annotationes*, PH. AGUIRRE, S. I. . . . . 280

ACTA SUMMATIM RELATA SS. CONGR. . . . . 288

PROVISIONES ECCLESIARUM . . . . . 152, 295

TABULAE SYNOPTICAE S. R. ROTAE . . . . . 293

NECROLOGIUM . . . . . 152, 297

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE . . . . . 152, 293

# INDEX ALPHABETICUS RERUM

*Absolutio* sacramentalis durante itinere aëreo, 32 ss.
*Absolutismus* Status reiciendus, 116.
*Albertus M.* (S.), de significatione vocum, 203.
*Appellatio* contra sententiam in favorem matrimonii latam nequit fieri a coniugibus culpabilibus, 285.
*Astutia*, 163 ss.; astutia « bona », 170; proprie dicta, 175.
*Auctoritas* publica, 128 ss.
*Augustinus* (S.), de signis naturalibus, 160; de hypocrisi, 162; de duplicitate, 163; de fictione materiali, 167; de astutia « bona », 170; de dispensatione falsiloquii, 179 ss.; de sinceritate, 181, 201; de professione ignorantiae, 195; de dissimulatione passionum, 199; de abusu signi, 203.
*Belli* causa, 81; belli finis quid a nobis postulet, 274; bellum aggressionis est proscribendum, 118; quid sentiendum sit de bello offensivo, 131.
*Canones* Codicis i. c. in quibus occurrit vox « probabilis » examinantur, 18.
*Capitalismus*, 84.
*Caritas*, assistentia, 86.
*Causa* criminalis, eius natura, 226; causae matrimoniales qualem scopum habeant, 88.
*Civilitas* christiana debet supra omnia defendi, 71.
*Compensativum* peccatum, 180.
*Concordatum* germanicum, 233.
*Confessio* durante itinere aëreo, 32 ss.
*Contractus* societatis, 85.
*Corporativus* ordo, 85.
*Cyrillus A.* (S.), quantum amaverit unitatem Ecclesiae.
*Democratia*, 124 ss.; democr. adversarii, 128; democraticum regimen quid postulet a subditis et a rectoribus, 110.
*Dictatura*, 127.
*Dimissio* religiosorum qua potestate fit, 229 ss.
*Dissimulatio*, 186 ss.
*Dolus*, 164.
*Duplicitas*, 182 ss.
*Ecclesiae* structura iuridica et vita spiritualis, 98.
*Episcopi* conconsecratores quomodo se gerere debeant in consecratione episcopali, 278.
*Falsitas* praedicamentalis, 165, 172 ss.
*Fictio*, distincta a simulatione, 162 ss., eius falsitas, 164 ss.; materialis, 166 ss.; formalis, 172 ss.; rei physicae, rei personalis, 173; in mendacio, 174.
*Fidelitas*, 158.
*Formae* iudiciales cur adhibeantur, 228.

*Formularium* novum pro festo SS. Cordis Iesu in idiomate slavico, 45.
*Franciscus Sales*, (S.), eximia eius veracitas, 179, 198.
*Gregorius M.* (S.), de sinceritate, 178.
*Humanitas* christiana, 81.
*Hypocrisis*, 162, 173; h. mentientis, 182 ss.
*Ignorantiae* professio, 194.
*Ingenuitas*, 188.
*Internationalis* ordo, 87.
*Iter* aëreum, facultas audiendi confessiones durante itinere aëreo, 210 ss.
*Iudicatio* administrativa num habeatur in Ecclesia, 210 ss.
*Iura* subiectiva in Ecclesia, 220 ss.
*Iurisdictio* ad audiendas confessiones durante itinere aëreo, 210 ss.
*Ius* proprietatis est ius naturale, 72; omnibus debet esse possibilis accessus ad proprietatem, 73.
*Laymann*, de pravitate mendacii, 159.
*Litterae* encyclicae « Orientalis Ecclesiae decus », 48.
*Matrimonii* forma extraordinaria quando adhibenda, 282.
*Mendacium*, inordinatio obiectiva, subiectiva, 157 ss.; distinctum a simulatione, 160; admixtum simulationi, 161; eius vanitas, 174; reatus astutiae, 175 ss.; reatus hypocrisis, 182 ss.; non est proprie abusus vocum, 202 ss.
*Missa* an celebrari possit in altari fixo sacelli navis, 42.
*Monarchia* absoluta, 127.
*Nazional-socialismus* effert conceptum falsum Status, 282; persecutus est Ecclesiam, 234, 237; damnatus est, 235.
*Operarii* ius habent ad exigendum meliorem ordinem oeconomicum; christifidelium obligatio, 71.
*Parlamentarii* repraesentantes, 129.
*Paroeciae* vacantis collatio non est impedienda necessitatibus oeconomicis dioecesis, 280.
*Paulus* (S.), de veracitate christiana, 159.
*Personae* duplicatio socialis, 189 ss.; simplicitas, 200 ss.
*Populus*, non « massa », 128: quomodo distinguatur a multitudine informi, 112.
*Positivismus* iuridicus, 129.
*Potestas* iudicialis-administrativa num habeatur in Ecclesia, 210 ss.
*Probabile* in Codice i. c., 5; ubi occurrat haec vox, 8; diversae eius significationes in antiquo et in novo iure, 10.
*Proprietas* privata, 82 ss.
*Prudentia* serpentis, 170 ss.
*Psalterium*, novae versionis natura et criteria, 140; exempla singularia, 143.
*Rei* delictorum communium in bello sunt puniendi, 121.
*Salus* animarum principium supremum in Ecclesia, 98.
*Sancta Sedes*, caritativa activitas, 86.
*Signum*, differt ab expressione, 160 ss.; significatio vocum, 202.
*Simulatio*, in genere, 159 ss.; distincta a mendacio, 160; dist. a deceptione, 162; dist. a fictione, 162 ss.; sim. mentientis, 183; s. materialis, 184 ss.; eius discriminatio, 186.
*Sinceritas*, 158; s. loquentis, 181, 186 ss.; cordis, 199 ss.
*Status*, falsi eius conceptus, 250; quomodo differat ab Ecclesia, 252.

*Technica,* progressus, 85.
*Thomas* (S.), de ratione signi, 161; de veritate, 165; de professione ignorantiae, 194; de communicatione sociali, 196; de abusu signi, 204.
*Unitas* actionis in tractatione causarum matrimonialium undenam veniat, 88; quid debeant facere singuli qui interveniunt, 90; unitas Ecclesiae quid requirat, 51.
*Vanitas* mendacii, 174.
*Veritas* praedicamentalis, 165.
*Victi* populi quo modo sint tractandi, 120.
*Virtutis* manifestatio, 196.